# DE
# TITVLO CRVCIS
## DISSERTATIO

E Sacrę, & prophanę Hiſtorię monumentis.

AVTHORE
JOSEPHO MARIA CARACCIOLO
Clerico Regulari.

MED:PALAT: BIBL:CAP:S:

NEAPOLI,
Secundinus Roncaliolus cudebat.
Anno M.D.C.XLIII.

SVPERIORVM LICENTIA.

7

Digitized by Google

# IO. BAPTISTAE CARACCIOLO CLERICO REGVLARI FRATRI.

## IOSEPH MARIA CARACCIOLVS. S.

DIù cunctabūdus huius opellæ editionem, etſi abhinc annis ſerè duodecim abſolutę (rudis enim mihi ſemper viſa, & incompta) differre cogitaueram: niſi tu, quem non tantum ſanguinis iura, ſed & idem Religionis inſtitutum coniunxerat, vt illam manumittere, imperaſſes. Imperare quidem poteras cum

 ætate

ætate, tum ingenio prior. Mandatis tuis, vt par eſt, obtemperaui. Eam manumiſi, Vix manumiſſa ad te ſtatim aduolat veluti tua. Tua certè, quia te obſtetricante è tenebris educta prodit in lucem. Tua quia de tuæ meæque Religionis vexilli inſignibus diſſerit, nēpè de Crucis Titulo. Tua, quia mea, nam

Ex Græc. *Tuum eſſe credo, quicquid eſt Frater meum.*

Tua demum, quia ſub auſpicijs tuis tutiſſima procedit: fidiſsimum eſt auxilium cum ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη *Frater viro adſit.* Adeſto igitur mi Frater huic opellæ tot nominibus tuæ, meque ama. Vale.

Plat. lib. 2. de Republic.

# APPROBATIONES.

*IMprimatur ſi videbitur Reuerendiſſ. Mag. S. P.*

Io. Baptiſta Ep. Cam. Vicegen.

DIſſertatio de Crucis Titulo, *à Viro laudatiſſimo D. Ioſepho Maria Cararciolo* Cler. Regul. *ad morum, ac Fidei normam, inſigni pietate, ac doctrina, ſplendidè conſcripta; ſi annuat Reuerendiſſ. P. Magiſter Sacri Palatij Apoſtolici, luce, ac typis digniſſima eſt. Romæ die ſecunda Aprilis 1639.*

Gaſpar de Simeonibus.

E*Ruditiſſimam, & equè pijſſimam* Diſſertationē De Titulo Crucis *à Patre Ioſepho Maria Caracciolo conſcriptam, quam ex commiſſione Reuerendiſsimi Patris Vincentij à Florentiola Sacri Palatij Apoſtolici Mag. vidi dignam typis cenſeo. Datum in Monaſterio S. Crucis in Hieruſalem de Vrbe die 15 Iulij 1639.*

D. Attilius à Petra ſanta in Collegio Sanctæ Crucis Sac. Theol. Lector.

*Imprimatur F. A. Lucarinus R.P.S.P.A.M. Socius.*

DIſſertationem hanc de Crucis Titulo *ab Admodum Reu. P. D. Ioſepho Maria Caracciolo*



Digitized by Google

Cler. Reg. conſcriptam, fidei, pietatiq; congruam, ac varia eruditione conſpicuã, publica luce, ac laude dignam cenſeo. Romæ in Feſto S. Bonauenturæ Doctoris 1639.

Ioannes Nicheus.

NOs hic ſubſcripti iuſſu Admodum Reu. Patris D. Philippi Mariæ Guadagnij Præpoſiti Generalis noſtræ Congregationis perlegimus Opuſculum, cuius hæc inſcriptio De Titulo Crucis Diſſertatio. Authore Ioſepho Maria Caracciolo Clerico Regulari, nihilque in eo offendimus, quod aut pium Lectorem offenderet, aut doctum remoraretur, cum ea, quæ in eo traduntur, & probentur ſolidè, & peritè ſtabiliantur, ut tutò non ſolùm, ſed etiam vtiliter in lucem publicam poſſit prodire; ita cenſebamus. Romæ 3. Non. Maij 1636.

D. Michael Ghislerius Cl. Reg. Theol. & Sac. Script. Profeſſor.

D. Aloyſius Nouarinus C. R.

D. Philippus Maria Guadagnius Congregationis Cler. Reg. Præpoſitus Generalis.

HOc opus, cui inſcriptio. De Titulo Crucis Diſſertatio, à P. D. Ioſepho Maria Caracciolo Theologo compoſitum, & à nonnullis noſtris Theologis

Digitized by Google

*logis, quibus id commiſimus recognitum, & approbatum. Vt Typis mandetur (modo, ijs, ad quos ſpectat, videbitur) facultatem concedimus. In quorum fidem, præſentes literas manu propria ſubſcriptas, & ſolito Congregationis noſtræ ſigillo munitas. Damus Romæ in Aedibus noſtris S. Silueſtri Mont. Quir. 13. Maij 1636.*

D. Philippus Guadagnus Præp. Gen.

Locus ✝ ſigilli

*D. Franciſcus Barilius Secretarius.*

---

L*iber, cuius Titulus eſt,* Diſsertatio de Crucis Titulo *editus à P. A. R. D. Ioſepho Maria Caracciolo ingenioſe, & eruditè elaboratus, dignus eſt, vt publici iuris fiat. Neap. die* 10. *Februarij* 1642.

Mag Fr. Dominicus Grauina Ord. Præd. Cur. Archiep. Theol.

---

*Imprimatur G. Peccerillus Vic. Gen. Neap.*

Fr. Ioſeph de Rubeis Ord. Min. Conu. Sac. Theol. Mag. Eminẽtiſs. Philamarini Th.

*Regiſtrata fol. 6. à fronte.*

SYL.

Digitized by Google

# SYLLABVS CAPITVM.


QVid ſit Titulus Crucis. Cap. I. fol. 1

Nomina, phraſeſue ad Titulum Crucis, Latina, Græca, Hebraica, Syro-chaldaica. Cap. II. 6

Prophetiæ Tituli Crucis. Cap. III. 11

Vtrum Chriſto antelatus Titulus. Cap. IV. 16

Vtrum præco pro Titulo præierit Chriſto. Cap. V. 19

Num more Iudæorum inſcriptus Titulus. Cap. VI. 21

An loco ſententiæ Titulus Crucis fuerit exaratus. Cap. VII. fol. 28

Calamo, an Stylo Titulus conſcriptus. Caput VIII. 31

Materia Tituli Crucis. Caput IX. 34

Color tabulæ Tituli. Cap. X. 39

Forma Tituli Crucis. Cap. XI. 42

Magnitudo, & color literarum Tituli. Caput XII. 44

De ordine ſcriptionis literarum Tituli. Cap. XIII. 51

De Scriptore Tituli. Cap. XIV. 55

Quis affixerit Titulum Cruci, & qua hora, funibus, an clauis. Cap. XV. 58

De loco Crucis, cui Titulus infixus. Caput

Cap. XVI. 61
Vtrum Cruces latronum Titulis inſignitæ. Cap. XVII. 76
Vtrum Titulus Crucis ſit Hebraicè cõſcriptus. Cap. XVIII. fol. 81
An integer Titulus ſit triplici lingua deſcriptus. Cap. XIX. fol. 85
An integra, & germana Tituli inſcriptio hæc ſit: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorũ. Cap. XX. 88
Variantia Euangeliſtarum loca de inſcriptione Tituli, inter ſe conciliata. Cap. XXI. 112
Nomen Ieſus in Titulo ſcriptum, expẽditur. Cap. XXII. 120
Vox Nazarenus per ז Zain, an per צ Tſade in Titulo ſcripta fuerit. Caput XXIII. fol. 126
Quid denotet Rex Iudæorum in Titulo. Cap. XXIV. 134
Tres illæ principes linguæ, quibus Titulus conſcriptus eſt, quã latè olim patuerint. Cap. XXV. 139
Vtrum more, inſtitutoque Maiorum pluribus linguis Titulus deſcriptus. Caput XXVI. 147
Ordo linguarum in Titulo. Cap. XXVII. fol. 149
Num lingua Hebræa, Græca, & Latina in Titulo conſecratæ. Cap. XXVIII. 156
Summa

Digitized by Google

Summa Christi præſtã-
tia à triplici inſcri-
ptione Tituli præſi-
gnificata eſt, Caput
XXIX. 161
Cauſa cur Pilatus cu-
rauerit inſcribi Ti-
tulum Crucis. Cap.
XXX. 164
Quid de Pilato dicen-
dum ſit ob ſcriptio-
nem Tituli, & an
peccauerit, pœnaſ-
que dederit. Caput
XXXI. 169
Quid eſt, quod Iudæi
petierint à Pilato de
leri Titulũ Crucis,
& qua hora. Caput
XXXII. 174
Quid Pilatum cohibuit
nè mutaret Titulum
Crucis. Caput
XXXIII. 180
Figuræ Tituli Crucis.
Caput XXXIV.
fol. 184
Arcana literarum Ti-
tuli. Caput XXXV.
fol. 191
Miracula Tituli Crucis
Cap. XXXVI. 194
Titulus Crucis, quàm
infenſus Dæmoni.
Caput XXXVII.
fol. 197
Quænã ceremoniæ Ec-
cleſiæ reſpondeant
Titulo Crucis. Ca-
put XXXVIII. 200
Argumenta aduerſus
hæreticos ex verbis
Tituli deprompta.
Cap. XXXIX. 103
An cultu latriæ vene-
randus ſit Titulus
Crucis: & quæ ipſi
præces adhibendæ.
Cap. XXXX. 211
Tempus inuentionis

Tituli

Tituli Crucis aſtruitur. Cap. XLI. 215
Prima Tituli inuentio, eiuſque translatio. Cap. XLII. 222
De ſecunda Tituli inuentione, deque hęreticorum calumnijs circa hanc redargutis. Cap. XLIII.
Verũ in die Iudicij intuentium oculis obijciendus ſit Titulus cum Cruce. Cap. XLIV. 236



Digitized by Google

ET impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: *HIC EST IESVS REX IVDÆORVM.*

*Marcus* Cap. XV.

ET erat Titulus cauſæ eius inſcriptus: *REX IVDÆORVM.*

*Lucas* Cap. XXIII.

ERat autem & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis: *HIC EST REX IVDÆORVM.*

*Ioannis.* Cap. XIX.

SCripſit autem, & Titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem. Erat autem ſcriptum: *IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.* Hunc ergo Titulum multi Iudæorum legerunt: quia propè Ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus, & erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergò Pilato Pontifices Iudæorum: Noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum. Reſpondit *Pilatus*: Quod ſcripſi, ſcripſi.

# DE TITVLO CRVCIS DISSERTATIO.

## Quid ſit Titulus Crucis.
## Caput I.

AB etymologia vocis Tituli aggredior de titulo Crucis ſcribere, cum notitias rerum, quas Græci ἐννοίας vocant, difficile quis habere poſſit, niſi illarum nomina priùs vnde ducta ſint, excutiat, expliceteq; Nomen Tituli nonnulli à Tuendo, ideſt defendendo deriuant, vti Andreas Placus, Alphonſus Salmero, & Interpres Euthymij; quod his Varronis verbis cōprobari poſſe videtur: *Tutulati*, inquit, *dicti ſunt, qui in ſacris capitibus habere ſolent, vt metam; id Tutulus appellatur ab eo, quod matresfamilias crines conuolutos ad verticem capitis, quos habent vti velatos,*

Andr. Plac in lexico Biblico. Alphon. Salmer. tract. 3. Interpr. Euthim. in Matth. Varro lib. de lingua latina.

 di-

*dicunt tutulos; ſiue ab eo, quod tuendi cauſa capilli fiebant; ſiue ab eo, quòd altiſſimum in vrbe, quo eſt arx; ea res tutiſſima tutulus vocatur.* Hæc Varro. Varroni adſtipulatur Feſtus, qui *Titulos* milites eſſe dictos, ſcriptum reliquit, *quaſi Tutuli eſſent dum patriam tuerentur*. Hinc Nauis inſigne, quòd Dei ſignum erat naui impoſitum, & naui nomen imponens, Tutela nominabatur. Seneca; *Nauis bona dicitur non quæ pretioſis coloribus picta eſt, nec cui argenteũ roſtrũ eſt, nec cuius tutela ebore cælata eſt, nec quæ fiſcis, ac opibus regÿs preſſa eſt, ſed ſtabilis, & firma*, &c. Lactantius itidem; *Tutelam habent in Aquila figuratam.* Rectè ergo Titulus Crucis à tuendo dicitur: quia cum tres Cruces eſſent inuentę ab Helena humo defoſſæ, nec facilè diſcerni quiuerit, quæ eſſet illa Chriſti, id Titulus indicauit, quod ex Chryſoſtomo adnotauit Salmero: quamobrem tunc etiam Crucem Domini Titulus tueri viſus eſt.

Feſtus lib. 18.

Senec. ep. 76

Lactan. lib. 1. c. 11.

Alph. Salmer. tract. 37.

An potius à tuendo, ideſt conſpicien-

do

Digitized by Google

do dictus Titulus Crucis, cum clara eſſet inſcriptio, & quæ ab omnibus facilè cõſpiceretur? Huc fortaſſe reſpexit Nõnus, Nonnus paraphr. in c. 19. Ioan.

καὶ πιλάτος θηητὸν ἐπέγραφε μάρτυρι γόμφῳ

γράμμα τόπερ καλέουσι λατινίδι τίτλον ἰωῇ

Et Pilatus viſibilem ſcripſit teſtificante ſtylo

Inſcriptionem, quam vocant Latina Titulum voce.

A Græco verbo τιτάν nomen Tituli deducit Albertus, quod eſt radius, *quia totum mundum*, inquit, *ſuo lumine Titulus iſte irradiauit*. Idipſum ſatis apertè declarauit Simon de Caſſia illis verbis: *Titulus à Titane nomen accepit, vt luceſcere, quod agebatur, aut dicebatur, faceret.* Et incertus Author certè antiquus; in libro de Natura rerum Bedæ, ſub initio tradit, Titulum à Titane dici, ideſt Sole: *Quia ſicut Sol ſua præſentia illuminat mundum, ita & titulus ſequentem paginam illuſtrat: nam ſi titulum frontis eraſeris, muta pagina rema-*

Alber. in Luc.

Simon de Caſſ. lib. 13.

Incert. in lib. de Natur. rer. Bedæ.

*nebit, vt ait quidam: Titulum frontis erâde, vt muta ſit pagina.*

At ego Titulum Crucis non quia ſpectabilis, & claritudinis argumentum, ſed quia, vt alibi oſtendam, per illum Pilatus vltionem parauit Iudæis, à verbo Græco τιτάν, facilè duxerim. Ab hac mea coniectura eſt illud Seruij, exiſtimantis Titanas dictos ἀπό τῆς τίσεως *A vindicta*, ideſt quòd Terra irata eos contra Deos genuerit. Euthymius, vt latinæ linguæ imperitus, ab eius interprete, & ab Alphonſo Salmerone immeritò reprehenditur, quippe qui aſſerat, Romanos Titulum vſurpare pro cauſa: Latini enim paſſim voce Titulus pro cauſa vtuntur. Valerius: *ſine vita noſtra varijs, & occultis cauſis expoſito, interdum quædam immerẽtia ſupremi fati titulum occupant.* Et Suetonius Tranquillus in Domitiano Titulum pro cauſa animaduerſionis, & ſupplicij de noxio ſumpti vſurpat. Hinc factum eſt, vt Iuriſperiti in tractatu poſſeſſionum, quod veteres cauſam dixerunt, ipſi Titulum

f Euth. in Matth.

Alph. Salm. tract. 37.

Valer. lib. 9. c. 12.

Suet. Trãq. in Domit.

vo-

Digitized by Google

vocent; eumque Theophylus non inelegantèr lib. inſtit. 4. deſcribit. Qua quidem ſignificatione, & Domitius Vlpianus l. 1. ff. pro dote, *Titulus eſt*, inquit, *vſucapionis, & quidem iuſtiſſimus, qui appellatur pro dote*. Et Marcellus in epiſt. ad Sulpitium; *Si color, vel titulus, vt ſic dixerim, donationi quæſitus eſt, nihil eſt, nihil valebit traditio*, l. Sulpicius, de donat. inter vir. & vxor. Ad notionẽ tituli Crucis Chriſti nomen, patriam cõdemnationis ipſius cauſam indicantis, attinet etiam etymon vocis Tituli traditum à Ioanne de Ianua; *Dicitur Titulus Thetulus à Theta, figura ſic facta, quæ olim in frontibus damnatorũ imprimebatur; ſicut enim in illa figura reddebatur homo noſcibilis, ita per Titulum liber cognoſcitur*. Hæc ille.

Ioann. de Ianua in vocab. Eccleſ.

# Nomina, phraſesue ad Titulum Crucis Latina, Græca, Hebraica, Syro-chaldaica. Cap. II.

Nonnus in cap. 19. Ioa.

Titulus latina vox eſt, non Græca, teſte Nonno.

Τὸπερ καλέουσι Λατινίδι Τίτλον ἰωῇ.

*Quam vocant latina Titulum voce.*

Iodocus Lonich. in Theſaur. Theol.

Quare per errorem labitur Author Theſauri Theologici, *Titulus*, inquiens, *nomen habet ex Græco τίτλον; quod inſcriptionem ſignificat cuiuſque rei.* Eraſmus damnatæ memoriæ Scriptor, qui vbique indignè obtrectat Euangeliſtis, his verbis Ioannem vellicat: *Euangeliſta latina voce vſus eſt τίτλον: cæteri vocauerunt αἰτίαν: Dicere poterat ἐπιγραφὴν, ideſt inſcriptionem.* Primùm, non cæteri Euange-

Eraſ. in Ioa.

gelistæ vocauerunt αἰτίαν, quod τίτλον,
Ioannes, vt indiligenter retulit Eraſmus,
ſed ſolus Matthæus. Marcus ἐπιγραφὴν τῆς Matth. 27.
αἰτίαν, dixit, ideſt *Inſcriptionem cauſæ*. Lu- Marc. 6.
cas ſolùm ἐπιγραφήν. Eraſmus autem, Luc. 23.
quod legerat apud Marcum, & Lucam
ἐπιγραφὴν, quaſi nouum aliquid ex ſe
nunc afferret; *Dicere poterat*, inquit de
Ioanne, ἐπιγραφήν, ideſt *Inſcriptionem*.
Tum eſto lingua græca vberior ſit latina;
certè Græci interdum latinas voces elegantiæ ergo vſurpabant. Huius rei teſtem laudo locupletiſſimum Nicolaum Papam in epiſtola ad Michaelem Imperatorem Græcum, qui linguam latinam pluribus calumniatus erat: *Ecce quotidie*, ſcribit, *imò verò in præcipuis feſtiuitatibus inter græcam linguam veluti quiddam pretioſum, hanc, quam barbaram Scythicam linguam, appellatis, miſcentes* (de lingua latina loquitur) *quaſi minus decori veſtro facitis, ſi hac etiam non benè, ac ex toto intellectu in veſtris obſequijs, ac officijs non vtamini*. Demum haud mirum videri de-

 bet

bet Eraſmo, quod Matthæus in Euangelio dixit αἰτίαν, id latina voce à Ioanne τίτλον vocatum eſſe: ſic enim Plutarcus, & alij, pro Catulo Κάτλον, pro Bibulo βίβλον, pro Lẽtulo Λέντλον dixere. Poſtremo animaduerti Cedrenum Authorem Græcum voce τίτλον vſum eſſe in compendio hiſtoriarum. Et Gretſerus aſſerit, vocem τίτλον ſæpè occurrere in Græcis conſtitutionibus.

Cedren. in compend. hiſtor. Iacob. Gretſer. lib. 1. de Cruce, c. 27.

Ex nomine Titulus Scriptores impolitioris Aeui verba illa Titulare, Prætitulare, Intitulare deriuarũt. Ita Remigius in teſtamẽto, *Remigie, coeblearia tria, quę meo ſunt nomine titulata*. Et Flodoardus: *Charta ipſius Epiſcopi reperiũtur nomine titulata.* Verbo Prætitulo vtitur idem Flodoardus alibi, cum ait: *Hanc autem Baſilicam præfatus vir his verſibus aureo prætitulauit decore.* Et Intitulo vſurpat Theganus de geſtis Ludouici Imperatoris: *Nam quatuor Euangelia Chriſti, quæ intitulantur nomine Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis.* Ambroſius vtitur verbo Titulo; *Domum ſalutaltam*

Flodoar. li. 1. c. 10.

Idem lib. 1. hiſtor. Remon. c. 6.

Ambroſ. in epiſ. ad Coloſſ. c. 4.

*tam enim deuota fuiſſe videtur ; vt omnis domus eius ſigno titulata eſſet Crucis.* Matthæus *Cauſſam*, pro Titulo, Lucas verò *Superſcriptionem* dixit ; nec quidē barbarè: ſuperſcribere enim eſt vox latina, vſurpata à Suetonio in Nerone, & à Modeſtino: licèt politiores inſcribere citiùs, quàm ſuperſcribere dicant. Tituli damnatorum ſæpè elogia à bonis linguæ latinæ Authoribus appellantur. Ammianus, *Antiochiæ ordinis verendi Duces ſub vno elogio iuſſit occidi*. Vulcatius. *Vides multis opus eſſe gladÿs, multis elogÿs, vt in antiquum ſtatum publica forma reddatur.* Iſta latinis: Græcis autem Tituli ſynonima, præter illa Euangeliſtarum αἰτίας, & ἐπιγραφὴ ſunt διάγραμμα, & γράμμα, quę apud Plutarcum, tum inſcriptionem libri, tum ſententiam, & edictum ſignant. ςήλη non ſolùm columnam, ſed titulum lapideum ſignificat. Hinc verbū ςηλιτεύω pingendo, vel ſcribēdo aliquem infamia notare. Idē ſignat ςηλοκοπεῖν ; & ςηλίτης notat infamia notatū : στημονολόγημα ve-

Math. 27. Luc. 23.

Sueton. in Nerone. Modeſtin. in lib. 5. ff. de oper. publ.

Ammian. lib. 14.

Vulcat. in vita Auidÿ Caſſÿ.

Plutarc. in vita Pompeij.

rò ſignificat Titulum honorificum.

Hæbreis verò מצבה *Matſeuo*, ſeu מצבת *Matſeueth* idem eſt, ac titulus, & ſtatua: & vox ציון *Tſion* nō modo ſpeculam, ſed titulum apud Hebræos deſignat. Pro inſcribere Hebręi, & Chaldęi חקק *Hhakak* dicunt, quod idem eſt, & Exarauit, Inſculpſit, Pinxit.

Matthæi textus Syriacus pro cauſa vertit עלתא *Ngbelleta*, occaſio, ex radice עלל *Nghalal*, quæ ſignificat occaſionem quærere, ferè in malam partem, & in contemptum alterius. Apud Ioannem pro Titulo לוחא *Luabb* Tabulam tranſtulit. Vbi Matthæus Cauſſam ſcriptam habet: Pro τὸ ſcriptam Syrus poſuit בכתבא *Bakkethaua*, ideſt in ſcripto, ſcheda, codicillo. כתב *Kathau* enim hebraicè, chaldaicè verò, & ſyraicè כתב *Kethau* ſcribere deſignat: quod verbum in textu ſyriaco Marci, & Lucæ reperies. Item רשם *Reſciam* apud Chaldęos ſignificat inſcribere. Demum תרגום *Targum* ſyriacè, Arabicè תרגמה *Targama*, ſignificat nedum

Transla-

Digitized by Google

Translationem, ſed Titulum libri, Inſcriptionem, Epitaphium. Hactenus de ſynonimis, & verbis ad Titulum Crucis pertinentibus. Si pluta cupis, conſule Lexicografos.

## Prophetiæ Tituli Crucis. Cap. III.

SPiritu diuino incitati animi Prophetarum, futura præſentientes, & ipſam inſcriptionem tituli, & illius immutabilitatem vaticinati ſunt. Tituli ſcripturam prædixit Iſaias: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus iuxta terminum eius erit in ſignum, & in teſtimonium Domino exercituum in Terra Aegypti.* Hunc locum de titulo Crucis Thomas Bexaumis, & Alphõſus Paleottus intelligũt. Habacuc etiam non obſcurè de tituli ſcriptione prophetaſſe illis verbis, *Scribe viſum, & exara eum ſuper ta-*

Iſa.29.

Tho. Bexa. un. ſec. 10. de Paſſ. Domini.
Alphon. Paleot. in explic. ſacræ Syndonis.
Habac.2.

Alber. Mag. in Luc. & in Ioan.
Calliſt. Placent. in enar. de Paſſ. Dom.
Pſal. 95.
B. Tho. à Villanoua conc. 2. de Annunc.
Alphon. Salmer. tract. 237.
Pſal. 2.

*tabulam*; Affirmant Albertus Magnus, & Calliſtus Placẽtinus. Illud Pſalmi, *Dominus regnauit à ligno*, de titulo affixo ligno Crucis exponũt B. Thomas à Villanoua, & Alphonſus Salmero. Verùm me Iudice, planiùs, & apertiùs titulum Crucis Pſalmographus ſub perſona Chriſti loquens vaticinatus eſt his verbis: *Ego autẽ conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*. In Monte Caluariæ, vbi Regis nomen illi in titulo ſcriptum. De hoc ſanè loquitur Dauid: vox enim ציון *Thion*, vt in ſuperiori capite admonui, nedum montem, ſed titulum ſignificat. Forſitan huc reſpexit Cyprianus tract. de Montibus Sina, & Sion, cum inquit: *Ecce quatenus impleta eſt interpretatio exacerbationis, & ſpeculatio: vnde manifeſtum eſt, Montem Sion ligni ſacri Regnum eſſe in ſanctitate iuſtificatum, dicente Dauid, Annunciate Regnum Dei in Gentibus, quia Dominus regnauit à ligno, & tranſiuit in Gentibus: de quo Regno ligni regalis idem Propheta dicit: Ego autem conſtitutus ſum Rex*

ab

*ab eo ſuper Sion Montem ſanctum eius, annuncians imperium eius: quod dictum Propheticum per Pontium Pilatum in ſua paſſione pendens in ligno compleuit.* Hæc verba Cypriani nonniſi de titulo Crucis, in quo ſcriptum fuit à Pilato Regnum Chriſti, intelligi poſſunt. Porrò Daniel Mallonius vult Ezechielẽ de titulo crucis prophetaſſe, cum ait: *Erit eis memorata dies, in qua glorificatus ſum*; & paulò poſt ſubijcit: *Cumque viderint os hominis, ſtatuent iuxtà illud titulum, donec ſepeliant illud pollinctores in valle multitudinis. Quàm verè,* inquit Mallonius, *liceret mihi dicere nunquam viſum fuiſſe os hominis, nec viſam faciem hominis perfecti, niſi quando viſum eſt os, & facies Chriſti. Tunc igitur appoſitus eſt titulus, donec pollinctores Ioſeph, & Nicodemus illum ſepelierunt.* Hæc ſunt oracula veteris inſtrumenti. Anne autem in nouo etiã aliqua prædictio tituli Crucis? Etiam: Angelus Mariæ titulum in Cruce filij inſcribendum fore, illis verbis clarè prænunciauit: *Dabit illi Dominus*

Dan. Mallon. in Elucid. de Cruce, & Titulo. Ezech. 39.

Luc. 1.

*Deus*

*Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*, vt pluribus explicat ornamentum Auguſtinianę familiæ B. Thomas à Villanoua, qui tandem ſic perorat, & concludit: *Itaq; velut oraculo monitus Præſes, in ſententia firmus ſtetit, dicens; Quod ſcripſi, ſcripſi, neſciens vtique quid diceret, ſed magnum proferens Sacramentum. Hæc igitur Sedes Dauid, quam Angelus repromiſit, cui ſcilicet Regni Dauid affixus eſt titulus: ab hac ſuper domum Iacob, non illius carnalis, & modici; ſed ſpiritualis, & toto Orbe diffuſi, ideſt Eccleſia ſanctæ Dei in æternum firmato Regno regnaturus eſt Chriſtus, ſicut fideli legatione prædixerat Angelus.* Hæc ille.

B. Th. à Villanoua, cōcion. 2. de Annunc.

Porrò non fore mutabilē tituli Chriſti ſcripturam, Dauid in titulo Pſalmi 58. clarum edidit oraculum: *Nè diſperdas Dauid in tituli inſcriptionem*. Cum quo conſentit S. Paſchaſius Corbienſis: *Ecce*, inquiens, *conductus eſt miſer populus ad clamorem, & petitionem mortis Chriſti, nec tamen inueniunt cauſſam, qua dignè moriatur*

Pſal. 58.

S. Paſchaſ. in Matth. lib. 12.

Digitized by Google

*tur, niſi quòd Rex eſſet Iudaeorum: ſed quā-uis illudentes illi hoc fecerint, tamen verum fuiſſe ex prophetia firmatur, quae dicit: Inſcriptionem tituli nè corrumpas; Quod Pilatus teſtimonium, quaſi obediens ſcripturae diuinae, quamuis ignarus, dicit, & firmat, Quod ſcripſi ſcripſi, nè titulus contra diuinū praeſagium in aliqua corrumperetur: ac ſi diceret: Quod ſcripſi, vtiquè verum ſcripſi, non ſolùm quia ipſe dixit, vt vos dicitis, ſed quia eſt verè Rex Iudaeorum.* Idipſum notat Gerſon de paſſione Domini, cum ait: *Per hoc autem, quod Pilatus noluit eum corrigere, ſcit ipſum dudum propbetizatum fuiſſe per Dauid in diuerſorum Pſalmorum titulis.* Tres dumtaxat ſunt Pſalmi, in quibus legitur huiuſmodi inſcriptio, *Nè diſperdas Dauid in tituli inſcriptionem*: quia titulum Crucis tripliciter deſcriptum, hebraicè, graecè, & latinè Iudaei inuertere nequiuerunt, vt aduertit Nicolaus de Lyra in Ioannem: *Quod ſcripſerat confirmando, nec fortuito, factum eſt hoc diuina praeordinatione, quia hoc erat ante propheta-*

Nicol. de Lyra inc. 19 Ioan.

tum

*tum, propter quod Pſal. 58. qui loquitur de* Pſ. 56. & 57.
*Paſſione Chriſti, & duo Pſalmi præcedentes ſic intitulantur: Nè corrumpas tituli inſcriptionem: & ideò Titulus Crucis Chriſti tripliciter deſcriptus non fuit mutatus, ſed magis confirmatus.* Vide, amice lector, quot, & quàm clara fuerint vaticinia cùm veteris, tum noui teſtamenti, non modo de ſcriptione Tituli, ſed & de ipſius perpetua firmitate.

## Vtrum Chriſto antelatus titulus. Caput IV.

OLim damnatis, & ſententiam paſſis titulum anteceſſiſſe, qui damnationis, & pænæ cauſam indicaret, habes ex Suetonio Suet. in Caligula.
Tranquillo in Caligula, vbi narrat, ſeruũ, ob detractam lectis argenteam laminã, carnifici confeſtim traditum eſſe, vt manibus abſciſſis, atque ante pectus à collo pendentibus, præcedente titulo, qui cau-

ſam

ſam pœna indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. Et in Domitiano, *Patremfamilias*, inquit, *canibus obiecit cum hoc titulo, impiè locutus parmularius*. Eundem morem elicio ex epiſtola Lugdunenſium de Attalo Martyre: *Circumactus per amphitheatrum, tabella ipſum praeũte, in qua latinè ſcriptum: Hic eſt Attalus Chriſtianus*. Illud moneo, Cruci affigendos, priùs cum tabella tituli, quæ cauſam ſupplicij oſtenderet, per forum eſſe traductos, teſte Dione, cuius clariſſimi hiſtorici hæc ſunt verba loquentis de Patre Cœpionis: *Cum enim pater Cœpionis alterum ſeruorum, qui cum filio eius fugerãt, manumitteret, quod ei ad mortem cum raperetur, opitulari voluiſſet; alterum, qui herum prodidiſſet, per medium forum traductum, cum tabula cauſam ſupplicij indicãte, in crucem tolleret; Auguſtus id factum indignè non tulit*. Quæ verba Dionis, vt à diligentioribus, & acutioribus, ad cognoſcendum hunc veterem Romanorum in titulis conſcribendis morem, expenderetur

Idem in Domit.

Dione lib. 54.

tur, omnium oculis ſubiecimus. Nego ipſe tamen milites Pilati, titulo Crucis præeunte, Chriſtum traduxiſſe: Quippe & B. Ioannis verba, *Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia propè Ciuitatem erat*, ſatis apertè indicant, Iudæos tunc primùm titulum Crucis conſpexiſſe, cum illum in Monte Caluariæ elatum viderant. Alioquin non ibi tantummodò, ſed etiam alibi legiſſent Iudæi ſcripturã tituli; cum videlicet per Hieroſolymam Chriſtus duceretur ad patibulum, ſi titulum milites prætuliſſent; quin etiam antequam titulus infigeretur Cruci, dixiſſent Pilato, *Noli ſcribere Rex Iudæorũ*, &c. quod quidem repugnat verbis Ioãnis, ſcribentis hæc omnia poſt crucifixionem Chriſti accidiſſe.

VTRVM

Digitized by Google

# Vtrum præco pro Titulo præierit Chriſto. Caput V.

APud Romanos elogia ſontibus, quæ cauſam pœnæ continerēt, aut ſuperſcribebantur, aut à præcone, cum ad ſupplicium perducerētur, ſilentio turbę indicto, elata voce pronuuciàbantur. Id Lampridius in Alexandro apertę docet. *Turinum necari iuſſit, præcone dicente, fumo punitur, qui fumum vendidit.* Spartianus in Seuero: *Fuſtibus eum ſub elogio cecidit; legatum Populi Romani homo plebeius temerè amplecti voli.* Hoc idem colligitur ex l. Fuſtibus, C. ex quib. infr. ir. *Fuſtibus,* ait, *caſum, cui per preconē itaū dict̃ eſt, dua.* Hor. *Sectus flagellis hic triumuiralibus. Præconis ad faſtidium.*

Vide Cuiacium, qui Zonaram in Valentiniano, Xiphilinū in Iuliano, & in Seuero ad hunc morem firmandum citat. Iacob. Cuiac. obſeru. lib. 7, [illegible]

Hinc præco vox legis dicitur, & vox Iudicis: ſolet enim præco verba Iudicis pronunciare, & ſcribitur tamen Iudicem dixiſſe, non præconem, vt Auguſtinus ſcribit. Sed & ipſe pœco apud Romanos iuſſu Magiſtratuum lictores in ſupplicijs exigendis lege agere iubebat; itaque Liuius vbi de Taurea Iubellio, ſecuri percuſſo iuſſu Fuluij, *Sub hæc dicta*, inquit, *iuſſu Proconſulis præco ita pronunciauit: Lictor, viro forti adde virgas, & in eum primùm lege age.* Verumenimuerò hoc non Romanis modo, ſed exteris quoque vſitatum, vt puta Siculis. Dionyſius de Phithone Rheginorum Duce imminente, crimenque exponente præcone, ſupplicium exegit, vti narrat Diodorus Siculus in hæc ferè verba: *Poſtea Dionyſius circumductum per vrbem, flagris affecit, atque omni contumeliarum genere, præcone comitante; quod exquiſitè præter conſuetudinem, propterea quod vrbem ad bellum impuliſſet.* Idcirco magna probabilitate Sylueſter de Priero, Theologus ex Ordine Prædica-

S. Auguſt. 3. de Trinit. & ſerm. 16. de Verb. Dom.

Liuius lib. 26.

Diod. Sicul. lib. 14.

Sylueſt. de Prier. ſerm. de Paſſ. Domini.

ca;

catorum eruditiſſimus, cenſuit Chriſto præcones præiſſe, qui per viarum compita cauſam mortis eius proclamarent. Idipſum affirmat Ioannes Oſorius hiſce verbis: *Incipit tunc prꝫco clamare acriter: Hoc ſupplicium datur huic homini iuſſu Pilati, quoniam ſe Regem fecit, & commouit populos.* Horum ſententia mihi probabilis, & prope vera videtur, nec abit ab antiquis picturis, in quibus præcones cū æneis tubis præeuntes Chriſto ducto ad patibulum cernere eſt.

Io. Oſor. ſerm. de Paſſ. Dom.

## Num more Iudæorum inſcriptus titulus. Caput VI.

QVòd Romani, aliæque nationes titulos damnatis inſcriberent, qui cauſam pœnæ declararent, ſatis iam multarum gentium exemplis confirmauimus. De Iudæis verò, an huiuſmodi titulos, literaſque ſupplicij cauſam indi-

canres, vſurpare conſueuerint, nemo Scriptorum, quos quidem viderim (vidi verò permultos) de hac re quæſtionem mouit: primus itaque ego, quòd moris Hæbræorum fuerit ſuperſcribendi titulos damnatis, ediſſeram: & quæ de hoc more ſacræ literæ prodiderunt, pro mea virili parte eruere conabor. Hunc ſanè expreſſit Iobus, cum ait, *Scribis contra me amaritudines*. Volunt quidã hic nonnulli amaritudines intelligi peccata, vel etiam mortis ſententiam; ſcribendi enim verbum eſt forenſe, vt notat Pineda. Et uerò pro τὸ *Amaritudines*, in textu hebræo eſt vox מררות *Meroroth*, radicis מרר *Marar*, ex qua deriuatur, & ſi ſub alia forma nomen תמרורים *Tamrurim*, quod, vt benè R. Kimchi, nedum amaritudines, ſed titulos excelſos Hierem. c. 31. & Hoſeæ c. 12. ſignificat. Cum igitur maxime amaritudinis eſſent Iobo tituli illi, qui cauſam ſummorum cruciatuum, quibus ipſe conficeretur, aperirent, amaritudines appellauit, & vocem מררות *Meroroth*

Iob. 13.

Ioa. Pined. Com. in Iob;

Rab. Dau. Kimch.

Ama-

Digitized by Google

Amaritudines, loco vocis תמרורים *Tărurim*, quæ titulos deſignat, vſurpauit. Huc etiam alluſit Dauid, *Et peccatũ meũ contra me eſt ſemper.* Pſalterium Romanum, *Et delictum meum coram me eſt ſemper*: ſicq; legit etiam Auguſtinus. Apollinaris verò, *Et meum peccatum eſt ante oculos:* Vt ſenſus Pſalmiſtæ ſit: Omni tempore peccata, & delicta mea in conſcientia, tanquã titulos meæ damnationis in tabella deſcriptos, atque depictos præmefero. Hãc expoſitionem innuit perbellè Chryſoſtomus hic in catena Pſalmorum Græca; *Ille*, inquit, *in conſcientia ſua, tanquam in imagine adulterium, & homicidium depictum habebat.* Morẽ hunc apud Hebræos viguiſſe apertis verbis ſignificauit Hieremias: *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino, exaratum eſt in latitudine cordis eorum.* Pro *latitudine* in Hebræo eſt לוח *Luah*, quæ ſignificãter de titulo damnatorum dicitur; vnde Syriacus Ioan. 19. pro titulo tranſtulit לוחא *Luahh.* Pro vngue autem intelligitur ſty-

Pſal. 50. | Aug. in Pſ. | Apoll. | Hierem. 17.

lus, ſiue calamus, quem adhibebāt Scri-ptores, teſte Rabbi Dauid Kimchi: *Vnde in Midras*, ait, *legitur, accepit vnguem ferreum, & ſcripſit cum eo*. Hic igitur eſt loci Hieremiæ ſenſus: Iudæi literas ſcelerum ſuorum in conſcientia ſua altè infixas, veluti titulos ſtylo ferreo inſculptas, ipſorum ſupplicium indicantes, geſtabunt. Sic præclarè expoſuit hunc locum Theodoretus: *Nihil potentiùs*, inquit, *conſcientia eſt, in qua ſcilicet infixa litera ſunt ſolida: Nam licèt omnes homines ſua ipſorum conſcientia de bona vita teſtificari conentur; peccata nihilominus eorum, qui mentiuntur, conſcientia ferre nequit, ſed percutitur, ac perforatur, incorruptamq; profert ſententiam*. Hanc verò expoſitionem ab Origene accepiſſe videtur Theodoretus, qui Hom. 12. in Hierem. hæc habet: *Nudabitur pectoris mei conſcientia, & aperto corde videbūtur litera peccatorum, quæ ſtylo ferreo in vngue adamantino ſculptæ ſunt, atque ita vniuerſa ſpectantium multitudo leget in pectore meo ſignatas peccatorum*

Theodoret. in Hierem.

Orig. Hom. 12. in Hierem.

imaz

*imagines*. Idem Hieremias hunc tetigit morem Thren. 1. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum*; Nonnulli enim ex Hebræis, vt refert noſter Agellius, pro *Vigilauit iugum iniquitatum mearum*, legunt, *Notatæ ſunt iniquitates meæ in manu eius, & quaſi punctis quibuſdam numerus earũ ſignatus*. Et quidem pro vigilauit, in Hæbræo reperitur vox נשקד *Niſckad*. Cum ש *Scin* ſtridulo legit S. Hieronymus, & vulgatus noſter ex radice שקד *SciaKad* Vigilauit. Alij legunt cũ ש ſin leni נשקד *Niskad*, vti Rabbi Salomoh, qui vertit, *Iugum iniquitatum mearum quaſi punctis quibuſdam notatum*. Vatablus *Deſignatum* legit. Hæc erit Hieremiæ ſententia: Peccata mea, veluti tituli damnatorum, in tabulis ſunt à Diuinis manibus conſcripta, meoque collo appoſita, vt in pænam illa, tanquam iugum geſtarem. Sed inquies. Romani milites Chriſtum crucifixerunt; vt quid igitur Hebrææ gentis, ac moris teſtimonia huc adducis? Audio, ſed idem in hac re Romanis ritus

Ant. Agell. comm. in Thren.

Hiero ibid.

Rab. Salomoh. ibid.

Vatabl. ibid.

extitit. Quocircà iuxtà Romanorum Cõſuetudinem impoſitum eſſe titulum Cruci putant nonnulli docti viri. Ludolphus Chartuſienſis: *Mos erat Romanorũ ſuper lignum Crucis ponere cauſam mortis crucifixorum.* Titelmanus. *Curauit quoque Pilatus titulum poni ſuper caput Chriſti pẽdentis, quo cauſa indicaretur crucifixionis eius, iuxtà Romanorum Conſuetudinem.* Calliſtus Placentinus, *Erat mos,* ait, *Romanorum, ſcribere titulum, hoc eſt cauſam mortis, vt intuentes legerent, quòd ſecundum leges iuſtè iudicati eſſent; & nè adeſſet qui eum titulum legere nequiret, quamuis alienigena, Hebraicè, Græcè, & Latinè ſcribi fecit.* Lyranus *circa primum ſciendum, quòd modus Romanorum erat ſcribere cauſam mortis crucifixorum ſuper lignum crucis.* Idem tradit Hilaretus: *Lex à Romanis lata erat, vt ſuper damnatos damnationis cauſa ſcriberetur, vt omnibus pateret, quòd eſſet à Iudice iure lata damnatio: qualis titulus ſuper Crucem Chriſti à Pilato deſcriptus fuit.* Hæc ille. Ex his igitur mihi facile

Ludolph. de Paſſ. Dñi c. 63.
Titelm. in Matth.
Calliſt. Placen. ihenàr. de Paſſ. Dñi
Nicol. de Lyr. in Ioã.
Hilaret. homil. 2. de Paſſ. Dom.

cile

cile perſuadeo non ſolum Romanorum, ſed Iudæorum etiam conſuetudine inductum fuiſſe Pilatum ad ſuperſcriptionem tituli: quod & Nicolaus de Lyra Commentarijs in Matthæum probè adnotauit, & in hæc verba ſcripſit: *Et impoſuerunt ſuper caput eius, &c. Iſte erat modus Iudæorum, quod ſuper capita crucifixorum ponebatur cauſa condemnationis ipſorum.* Claudant hoc caput verba Paſchaſij, quæ id apertiſſimè, & planiſſimè tradunt: *Mos ſiquidem,* inquit, *erat eorum* (ſubintellige Iudæorum) *ſcribere cauſas damnatorum; & ideò Chriſti titulus, & cauſa mirabiliter ſuper caput adſcribitur.*

Paſchaſ. lib. 12. in Matt.

AN

# An loco ſententiæ titulus Crucis fuerit exaratus.

## Caput VII.

DE iudicio, quod in Chriſtum Pilatus pronunciauit, diuerſam ſententiam ferunt Authores. Lactātius Firmianus Pilatum in Chriſtum ſententiam dixiſſe ſignatè negat his verbis: *Nec tamen ſententiam protulit, ſed tradidit eum Iudæis, vt ipſi ſecundùm legem ſuam de eo iudicarent.* Palā etiam abnuit Chryſoſtomus in hęc verba: *Et quia valdè vrgentes videbat, ipſe quidem ſententiam non tulit, ſed tradendo eum, permiſit illos ſua vti tyrānide:* Subſcribunt antiquis his Patribus nonnulli recentiores. Ioannes enim Haie opinatur, Pilatum nullam in Ieſum protuliſſe ſententiam, ſed regulis publicæ rei (quas ſtatus vocant) vſum, tradidiſſe voluntati eorum.

Lactan. Firmian. lib. 4. c. 18.

Chryſoſt. ſerm. vlt. in 2. ad Corin.

Ioa. Haie c. 188. Triūphi Veris.

eorum. Quamobrem loco ſententiæ à Pilato fuiſſe exaratum titulum indicat Lucas Brugenſis Commentarijs in Matthæum, cum ait: *Etiam hoc habebat antiqua Romanorum conſuetudo, vt titulus, qui cauſam pœnæ indicaret, præferretur damnatis, vel appenderetur, præſertim cum non alia à Iudice publicè lata eſſet ſententia, quod in Domino noſtro locum habuit.* In crucifixione verò Martyrum Iaponenſiũ è contrario ſententias, veluti titulos, fuiſſe in haſtis prælatas, & crucibus affixas, legimus. Porrò exiſtimant alij, *P*ilatum pronunciaſſe ſententiam crucifixionis; quibus ſanè præit S. Cyrillus in Catecheſi prima, inquiens: *Pilatus ſedet iudicaturus.* Et S. Auguſtinus de *P*ilato loquens, *Ille dixit in eum ſententiam, & iuſſit eum crucifigi.* Ita Chriſtianus Adrichomius nonnullas *P*ilati, Chriſtum ad diuerſa ſupplicia damnantis, ſententias refert. *P*rima ſententiæ formula, qua *P*ilatus Chriſtum ad virgas condemnauit, eſt huiuſmodi: *Ieſum Nazarenum virum ſe-*

Apud Boſſiũ de Cruce triumphante.

Chriſt. Adricom. nu. 37. deſcript. Hieruſal.

*di-*

*ditioſum, & Moſaicæ legis contemptorem, per Pontifices, & Principes ſuæ gentis accuſatum, expoliate, ligate, & virgis cædite; Lictor, expedi virgas.* Alia verborum forma, qua ad Crucis ſupplicium Chriſtus à Pilato fuit cõdemnatus, eſt in hæc verba, quæ teſtatur Adrichomius ſe ex antiquis annalibus fideliter exſcripſiſſe: *Ieſum Nazarenum ſubuerſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falsum Meſſiam, vt maiorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt, ducite ad communis ſupplicij locum, & eum ludibrio Regiæ Maieſtatis in medio duorum latronum cruci affigite; Lictor, expedi cruces.* Sanctus verò Anſelmus lib. de Paſſ. Dom. aliam exprimit ſententiæ formam; *Ieſum Nazarenum abiudico vitæ, & adiudico morti ignominioſæ crucis.* Aliã formulam ſententię recitat Sempronienſis; cuius verba, cum alieniſſima ſint ab ijs, quibus in ſententijs ferendis vtebantur Iudices Romani, idcirco huc non transcribo. Amiterni etiam reperta eſt ſententia Hebraicè ſcripta, quam in

Idem lib. 3. nu. 115.

Paul. Sempron. lib. 19

Chriſtum

Chriſtum dixit *Pilatus*; eamque in deſcriptione Terræ ſanctæ retulit Iepes. Quænam autem ex his vera ſint, & fide digna, tui iudicij facio, cordate Lector. Meus certè animus illuc potius inclinat, vt arbitrer titulum Crucis alium fuiſſe à ſententia, quippequi probè nouerim, olim tabellas ſententiarum, à tabulis, in quibus tituli damnatorum ſcriberentur, valdè fuiſſe diuerſas.

Rodriq. Yepes c. 8. de preg. Dom.

## Calamo, an Stylo tilulus conſcriptus. Caput VIII.

SEd iam ad ipſius tituli deſcriptionem tranſeo, qui, vt aliquorum fert opinio, calamo exaratus fuit. Id innuũt Nicolaus de Lyra, & Ludolphus Chartuſienſis, cum vterque aſſerit, titulum in charta fuiſſe deſcriptum. Ego verò ferro, non calamo inſculptum fuiſſe titulum, elicio ex Ioanne Chryſoſtomo, qui de titulo loquens

Lyran. in Ioan. Ludolph. de Paſſ. Dom. cap. 63.

Chryſoſt. in Ioan.

loquens, ait: *Tanquam Trophæo cuipiam literas inſculpſit:* & ex antiquo Arnoldo Carnotenſi, qui ſic de titulo effatur: *Scribitur tribus linguis inſignibus, Hebraica, Græca, & Latina: Regnum Chriſti, & dominatio eius emanatura in gentes, cruci inſculpitur.* Hoc ex eodem titulo conſtat, teſte nobili, & erudito viro M. Velſero, qui ectypon tituli quàm diligentiſſimè excudi curauit: fauetq; Nonnus *Panopolitanus*, inſtrumentum, quo fuit titulus ſcriptus, ſtylum appellans.

Arnold. Carnot. de sept. verb. Dom.

Nonnus in Ioann.

*καὶ πιλάτος θηκτὸν ἐπέγραφε μάρτυρι*
*γόμφῳ γράμμα.*

*Et Pilatus viſibilem ſcripſit teſtificante ſtylo inſcriptionem.*

Stylus uerò duplex apud antiquos in vſu fuit, ferreus videlicet, & oſſeus, & ille hoc antiquior: nam ferreo olim literas exarabant. Iſidorus, *Græci*, inquit, *& Thuſci primùm ferro in ceris ſcripſerunt.* Succeſſit autem ferreo ſtylus oſſeus, huiuſque meminit Tit. Quintil. Atta, Satyr. *Vertamus vomerem in ceram, mucro-*

Iſidor. lib. 6 cap. 9.

cro-

*croneque aremus oſſeo*. Laertius refert Cleantem ſolitum eſſe oſſeo ſtylo in tegulam excipere documenta Zenonis. Titinnius apud Chariſium lib. 1. ſtylum oſſeum ſuo æuo extitiſſe commemorat: *Velim ego oſſe arare campum cereum*. Poſtera ætate iuſſerunt Romani nè graphiũ ferreum eſſet, & apud ſcribas dicebatur, teſte Iſidoro, *Ceram ferro nè cadito*. Ex his perſpicuum eſſet, in tabula tituli literas non ferro, ſed oſſe fuiſſe inſcriptas, niſi aduertiſſem, etiam tempore Paſſionis Chriſti ferrei ſtyli vſum viguiſſe ex illius contemporaneo Martiale, qui ſic ſcribit: Iſid. lib. 6. c.9. Martial. l. 15.epigr.21

*Hæc tibi erunt armata ſuo graphiaria ferro,*
*Si puero dones, non leue munus erit.*

Ferro igitur, me iudice, non oſſe, vel calamo literę tituli Crucis inſculptæ fuerunt.

# Materia Tituli Crucis. Caput IX.

ANte vſum chartæ, & mẽbranarum in dolatis ex ligno codicillis epiſtolarum colloquia, Iſidoro teſte, ſcribebãtur. Prima ferè ſcriptionis materia fuit Tiliacea. Huic teſtimonium prębet Georgius Cedrenus in compendio hiſtoriarum: *A Romanis craſſum, & latum lignum matrix dicitur, Antiqui enim in ligni corticibus, ac è libro tilia confectis tabulis ſcribebant. Eſt tabula tiliacea, in quam verba libertatis ſolebant inſcribi; græce tilia eſt philyra; liber, & codex idem habentur; propriè autem codex truncum ſignificat, liber corticem; eadem matricula nuncupatur, & matricarij, qui ligna conficiunt.* Dio ſcribit, Domitianum nomina eorum, quos occidere ſtatuerat, in tabulis tiliaceis exaraſſe. Quãdoque citrea. Martialis.

Iſid. lib. 6. c. 8.

Dio lib. 67.

Martial. li. 14 epigr.

Secta

Digitized by Google

*Secta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas,*
*Eſſemus Libyci nobile dentis opus.*

Interdum eburnea. Idem Poeta. Idem ibid. epigr. 5.

*Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,*
*Nigra tibi niueum litera pingat ebur.*

Frequenter Buxea. Hinc cecinit Propertius; Proper. lib. 3. eleg. 23.

*Vulgari buxo ſordida cera fuit.*

Concinitque Prudentius; Prudent. lib. 9. de Martyr. S. Caſſiani.

*Conijciunt alij pugiles, inque ora tabellas*
*Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis.*

Cum igitur protrita ſcribentium materies fuerit buxus, facilè arbitrari eſt, tabellam tituli fuiſſe buxeam. Id haud obſcurè ſignificat Beda in Collectaneis; *Crux Domini de quatuor lignis facta eſt, quæ vocantur Cypreſſus, Cedrus, Pinus, & Buxus: ſed buxus non fuit in Cruce niſi tabula de illo ligno ſupra frontem fuit Christi, in qua conſcripſerunt Iudæi titulum.* Hanc

ſententiam Bedæ, quam nonnulli conantur euertere; tribus ego ſacræ Scripturę locis inſignibus ſtabiliam. Primus eſt Ioan. 19. vbi textus Syriacus pro Titulo לוחא *Luabh* vertit, ideſt Tabulā: quæ vox, vel maximè in ſacra Scriptura de tabulis buxeis vſurpatur. Secundus eſt Iſaiæ 30. vbi apertè de titulo Crucis vaticinatur, quod & alibi monui. *Scribe illud* על לוח *Ngbal Luabh ſuper tabulā*. Vulgatus vertit, *Scribe illud ſuper buxum*. Septuaginta ἐπὶ πυξίῳ *In buxo*. Tertius eſt Habach. cap. 2. vbi etiam de titulo Crucis prophetice loquitur; *Et explana eum* על הלחות *Ngbal Hallubhoth, ſuper tabulas*; ita Vulgatus. Septuaginta verò vertunt εἰς πυξίον *In buxum*. Hinc illuſtro locum Ezechielis cap. 27. *Abietibus de Sanir extraxerunt te cum omnibus tabulatis maris*. ברושים *Beroſcim* eſt in Hebræo pro τὸ *Abietibus*, quam vocem Rabbi Dauid Kimchi interpretatur *Buxum*. Exiſtimat Villalpandus, Rabbi Dauidem ideò interpretari buxum, vbi alij tranſtulerunt

Villalpand. in Ezech.

Abie-

Abietem, quia materia abiegna perſimilis buxeæ. Addam ego, quod ſubdit Propheta illa verba. Cum omnibus לחתים *Lubbothaim, tabulis*. Vox enim לוח *Luabb*, quæ hic reperitur, potiſſimùm de buxo dicitur, ac proindè buxum R. Dauid huc reſpiciens vertit ברושים *Beroſcim*. Porrò buxi materies mirè quadrat titulo Crucis: buxus enim, teſte Iſidoro, arbor ſemper virens. Hæc ſunt Iſidori verba: *Buxus Græcum eſt nomen, à Latinis ex parte corruptum, πυξός enim appellatur apud eos arbor ſemper virens, & leuitate materiæ elementorum apicibus apta.* Quod etiam adnotauit Batholomæus Angles: Vnde arbor buxi virorem ſemper cōſeruans, ſcriptionem tituli nunquam delendam eſſe manifeſtè demonſtrabat.

Iſid. lib. 17. c. 7.

Bartholom. Angl. lib. 12 c. 20.

Albertus Magnus docuit in tabella oleagina titulum fuiſſe deſcriptum. Idipſum ſcribit Ludolphus, cum ait: *Dicuntur quoque in Cruce Domini fuiſſe quatuor ligna diuerſa, & generum diuerſorum, ſcilicet ſtipes, ſiue truncus in rupe defoſſus, cui*

Alber. Magnus in Io.

Ludolph. de Paſſ. Dom. c. 63.



Digitized by Google

*Crux erat infixa; de cedro, palus, ſiue lignũ erectum, de cypreſſo; tranſuerſale, ſiue lignũ tranſuerſum de palma; tabula ſuperpoſita,* (ſubaudi tabulam tituli) *de oliua, vnde eſt iſte verſus:*

*Ligna Crucis Palma, Cedrus, Cypreſ-ſus, Oliua.*

At verò non in tabulis, ſed in folijs Oleæ Syracuſanos Iudices ſolitos exu-lum nomina ſcribere, Diodorus Siculus tradit.

Diodor. Sicul. l. 11.

Iamdiù in opinione quidẽ fui tabellã tituli, ſicut lignum Crucis, quod communiter quernum exiſtimant, & ipſam quernam fuiſſe: nam in tabulis quernis primò veteres ſcripſere, vt innuit Cicero lib. de Diuin. his verbis: *Nota priſcarum literarum in robore inſculpta.* Et Dionyſius de Antiquitatibus Roman. *Nondum æneæ columnæ tunc erant in vſu, ſed in quernis tabulis ſculpebantur, & leges, & inſtituta.*

Dionyſ. Hilicarn. lib. 3 Rom. antiq.

Longè autem opinione falluntur ij, qui exiſtimant verba tituli in ipſo ligno Crucis fuiſſe deſcripta, diſtinctus enim à

Cruce titulus fuit; quod patet primò ex Ioanne: *Scripſit autem & titulum Pilatus.* Secundò ex Ruffino, qui narrat titulum ſeiunctum à Cruce inuentum eſſe ab Helena Imperatrice. Demùm ex Cypriano, & Brigita, docentibus, *Pilatum tabulam tituli Cruci affixiſſe.* Ioa. 19. Ruff. lib. 1. hiſtor. c. 7. Cypr. tract. de Monte Sina, & Siō. S. Brigit. li. 4. c. 90.

## Color tabulæ Tituli.
## Caput X.

NON in nudis tabulis buxeis, ſed cera obductis olim literæ exarabantur. Hunc ſcribendi morem profert *Propertius.* Proper. lib. 3. eleg. 23.

*Vulgari buxo ſordida cera fuit.*

Et *Prudentius* Prudent. lib. 9. in Mart. Caſſ.

*Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis.*

Tabellas iſtas à ceræ cruſta cereos pugillares dictos, ex Ariſtophane, & Cratino ſcribit *Pollux.* Hinc notas, quæ ſcribuntur, literas appellarūt Antiqui, quod Pollux lib. 10. c. 14.

ingenioſè obſeruauit Goropius Becanus his verbis. *Litura non ſolùm deletionẽ, ſed etiam tectorium, ſeu incruſtationem ſignificat apud Columellam; ab hac litura litera dici videtur, cui nempè tabulis cera illinebatur ad ſcribendum: quæ cera inſtar cruſtæ alicuius, ſeu litura erat.* Abit in hãc ſententiam cum Goropio ex noſtratibus Baptiſta à Porta. Hunc verò modum cõſcribendi ſtylo tabulas ceratas tenuiſſe etiam Hebræos, conijcio ex cap. 21. lib. 4. Reg. *Delebo Ieruſalem ſicut deleri ſolent tabulæ: delens vertam, educam crebrius ſtylum ſuper faciem eius.* Cenſent nonnulli Interpretes vulgatum non legiſſe הצלחת *Hatſullahhat*, quod propriè Lebetem; Ollam, Lecytũ ſignificat, ſed לחות *Lubboth*, quod verbum tabulas ſignat, & præſertim buxeas. Hinc ſeptuaginta vertunt πυξός, quæ vox notat etiam tabulam buxeam. Ducta eſt autem metaphora à ſtylo, qui altera parte acutus erat, & in tabulis notas exarabat: altera latior, & obtuſior, quo ſi minus ſcripta probarentur

Bapt. à Port. lib. de Not. furt. c. 12.

tur

tur, delebantur, vt iterum cera eodem complanata, nouæ inducerentur notæ. Huc facit locus Hieronymi in Apologetico ad Domnionem, *Qui meliorem ſtyli partem eam legerim, quæ deleret, quàm quæ ſcriberet.* Tabulam Tituli cera illitam eſſe, cum allata loca conuincunt, tum tabellæ iudiciariæ, quæ erant ceratæ, teſte Cicerone: *Huic*, inquit, *iudicialis tabella committetur? quam iſte non modo cera, verum etiam ſanguine, ſi viſum fuerit, notabit?*

Tull. lib. 4. in Verr.

Porrò & ſi varijs coloribus tabellæ ceratæ tingerentur, vt inſinuat pluribus in locis Plinius, & Alexander ab Alexandro; tamen ceram tituli fuiſſe coloris albi, docuit Nicephorus Calliſtus: *Tabula præterea alba inuenta, in qua diuerſis literis Pilatus Regem Iudæorum ſcripſerat.* Hunc ſecutus Chriſtianus Adrichomius, de titulo loquens, ait: *In cuius ſupremâ parte lignea alba tabula affixa fuit.* Sic tabula, in qua reorum nomina referebantur, alba erat, & album prætorium appellabatur: Suetonius verò, & Tacitus

Plin. lib. 22. c. 14. & lib. 23. c. 15. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 23. Niceph. li. 8. c. 29. Chriſt. Adric. n. 252. deſcript. Ieruſal.

Album

Album Iudicum appellant. Nec vacat myſterio, quòd tabella tituli alba fuerit: indicabat certè Chriſtum non eſſe reum, ſed Deum hominem factum; nam, vt ait Cicero de legibus, color albus præcipuè Deo decorus eſt.

## Forma tituli Crucis.
## Caput XI.

PVgillarium forma quadrata fuit; apud Maiores etiam trigona: vnde δελτίον δυ'πτυχον Herodoto. Tabellam tituli Crucis quadratam fuiſſe affirmat Mallonius, cui ſuffragari videtur Nicephorus, qui de tabella tituli ait: *Ea ſupra caput collocata in morem, ςη'λης, ideſt columna.* Hæc vox græca columnam ſignat, vt titulum erectam. Ita Leuitici 26. vbi in Hebræo reperitur מצבא *Matſeua*, vertunt Septuaginta ςὴλας, Vulgatus verò *Titulos*; Sicut Geneſ. 28. Lapidem erectum à

Dau. Mallon. Elucid. de Cruce, & Titulo. Niceph. lib. 8. c. 29.

Iacob

Digitized by Google

Iacob tranſtulit. idem Vulgatus *Titulum*, cui in textu Hebręo reſpōdet מצבא *Matſeua*, & apud Septuaginta vox στήλην Titulus etiã Abſalonis, qui Hebraicè dicitur מצבת *Matſeueth*, Gręcè στήλη. Et Ioſeph appellat Abſalonis titulum στήλην λίθου μαρμαρίνου. *Columnam lapidis marmorei.* Huiuſmodi columna στήλη appellata, forma erat quadrangula, vt obſeruat Suidas. *Proſcriptio autem dicitur* στηλιτευτικός, *à columna, quæ vel ſaxum eſt, vel æs oblongum, quadrangula forma erectum, in quo facinora proſcripti perſcribuntur. Sæpe etiam benemeritorum beneficia in literarum monumenta referuntur.* Aduerſatur verò, & repugnat huic ſententiæ Georgius Cedrenus, qui apertè inficiatur, titulum eſſe quadrangulæ figurę, his verbis: *Plinthon Græci vocant laterem coctum: erat autem Plinthus quædam publica, in qua Senatorũ, ac legionum nomina inſcribebantur, quadrata figura in muro Plinthus erat; quidam titulum appellant, cum titulus non ſit quadrangula figura; ſed dignitatum præſcriptio.*

Ioſeph. lib. 7. antiquit. c. 10.

Cedr. in cō-pend. hiſto.

Lon-

Longitudo tituli Crucis fuit ſeſquipedalis, vt ex Ludolpho tradit Ribera. Eadem tabula tituli reperta fuit longitudinis vnius palmi cum dimidio, ſub Innocentio VIII. vt ex quodam Diario refert Mannus in ſuis ſelectis hiſtorijs.

Riber. in Ioan.

## Magnitudo, & color literarum Tituli. Caput XII.

Maiuſculæ, & fermè vnciales, itaut à ſpectatoribus rectè legi poſſent, fuere literæ tituli, quod & Euãgeliſta Ioannes, & ipſum Tituli ectypon typis excuſum, expreſſerunt. *Hunc ergo* (ſcilicet ſublimitati Crucis impoſitum) *multi Iudæorum* (inquit Ioannes) *legerunt*. Quæ verba commodũ expoſuit Albertus Magnus: *Multi ergo legerunt, nam fuit ſcriptum literis apertis, vt omnes legere poſſent, & intelligere*. Eiuſdem ſententiæ eſt Tullius Chriſopoldus, *Vt in columnis*, inquit, *portiſque*

Ioa. 19.

Alber. Magnus in Io.

Tullius Chriſopol. com. de Paſſ. Dom.

trium-

*triumphalibus magnis literis victorum, ac triumphantium inciduntur elogia; ſic Pilatus, licèt per ludibrium fortaſſe, aut certè per ignorantiam id fecerit, Domini noſtri Ieſu Chriſti verum de morte triumphum agentis, ſuper Crucem titulum inſcripſit.* Hoc idem tradit Lucas Brugenſis: *Scriptam Pilati iuſſu* (loquitur de tabula tituli) *in membrana tabellæ aptè adhæreſcente literis maiuſculis, itaut de plano rectè legi poſſent.* Sicut Titulus Crucis grandioribus characteribus fuit exaratus, item omnia edicta, quæ publicè proponebantur, grandiuſculis literis ſcribi ſolebant. Hinc illa dicendi formula V.D.P.R.L.P. quæ notę apud Valerium Probum ſignificant, *Vnde de plano rectè legi poſſint.* Ea formula vſus eſt Auſonius in gratiarum actione ad Gratianum Imperatorem: *Has ego literas tuas in omnibus pilis, atque porticibus, vnde de plano legi poſſint, inſtar edicti pendere mandauero.* Quocirca Suetonius in Calligula ſcribit, *illi vitio datum, quòd legem minutis literis ſcriptam propoſuerit.*

Luc. Brug. in cap. 27. Matth.

Vale. Prob. libel. de notis.

De-

Iuſt. Mart. apol. 2.

Denique Iuſtinus Martyr, recitãs reſcriptum Marci pro Chriſtianis, ſubdit, *Et iubeo hoc meum reſcriptum in foro Traiani proponi; vnde de plano rectè legi poſſit.* Hæc de granditate literarum tituli.

Colorem autem literarum tituli Crucis rubrum fuiſſe exiſtimo, illo præſertim argumento, quòd olim inſcriptiones titulorum rubro colore fierent, vt ſatis ex Martiale, & Ouidio manifeſtum eſt. Ita enim hic in principio libri Triſtium.

Mart. epigr. 164. Ouid. lib. Triſt.

*Nec titulus minio, nec cedro charta notetur:*

ille verò epigrammate ad Lupercum, librum laudat,

*Raſum pumice, purpuraque cultum.*

Hinc legum titulos rubris literis olim ſcribebant. Innuit. Iuuenalis;

Iuuen. Satyr. 14

*Cauſas age perlege rubras*
*Maiorum leges;*

Inde tituli aliàs, appellantur hodieque Rubricę. Vide legem 1. ff. ſi cert. pet. & l. 2. §. per. ff. de indict. prat. Adeò autem tituli perſcribi ſolebant rubris characte-

ri-

Digitized by Google

ribus, vt Hieronymus Magius titulos dictos exiſtimet, quia fiebant non ſine rubro colore, quaſi Tutulosà ſimilitudine, videlicet ornamenti capitis flaminicarum, quod vitta purpurea innexa crinibus fiebat. Feſtus. *Tutulum vocari aiunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & extructum in altitudinem,* &c. Et apud Iulium Pollucem legitur, lenas etiam, meretricumque matres vittam quandam purpuream capti inducere conſueuiſſe. Quin etiam ſepulchrorum tituli rubro colore ſcribebantur, vt Plinius lib. 33. naturalis hiſtoriæ tradidit: Ait enim minium in voluminum ſcriptura antiquos vſurpaſſe, clarioreſque literas, vel in auro, vel in marmore, vel etiam in ſepulchris feciſſe: quamobrem rubricam ad ſcribeudum pro ſtylo adhibebant, atque pro materia, qua literæ fiunt, vt cecinit Perſius,

Feſt. lib. 17.

Pollux li. 4.

*Oculo rubricam dirigit vno.*

Perſ. Satyr. 14.

Inuenta itidem ad ſcriptionem Miltum,

Min-

Minnium, Cinnabari, & Synopſis, quæ omnia rubri erant coloris, vt teſtatur Plinius. Encauſtum verò ex muricis, ſeu Conchilij cruore compoſitum, pretioſiſſimum fuit, & ſolis Imperatoribus ad ſcriptionem vſitatum, teſte Barnaba Briſſonio in appendice libri de ſignificatione verborum. Hinc opinor primùm literas in titulo Crucis ſtylo incidi, inſcribique curaſſe Pilatum, poſtea calamo rubrum colorem induxiſſe. Huiuſce coniecturę indicium dat Nonnus, qui de ſcriptione tituli loquens, cum ſtyli, tum calami meminit.

Plin. lib. 33. cap. 7.

Nonn. in

*καὶ πιλάτος θηκτὸν ἐπέγραφε μάρτυρι γομφῳ*
*γράμμα θηπερ καλέυσι Λατινίδι τίτλον ιωῆ*
*ἦν δὲ σοφῷ καλάμῳ τετυπωμένον ὅυτος Iησυς*

*Et Pilatus viſibilem ſcripſit teſtificante ſtylo*
*Inſcriptionem, quam vocant Latina Titulum voce,*

*Erat*

*Erat autem ſapienti calamo expreſſus,*
*Hic Ieſus*

Anne literæ in tabella tituli potiùs penicillo pictæ? Reperio titulos picturâ exprimi ſolitos. Petronius: *Ego autem*, inquit, *collecto ſpiritu non deſtiti totum parietem perſequi, erat autem venalitium titulis pictum*. Ipſi etiam Sinenſes loco calami penicillum in literis exarandis vſurpant. Porrò huic meæ coniecturæ de picturâ literarum tituli adſtipulatur Prudentius in Apotheoſi aduerſus gentes,

Nicol. Trigautius lib. 1. c. 4. de exped. Chriſt. apud Sinas.

*Pilatus iubet ignorans, tu ſcriba tri-*
*pictis*
*Dirige verſiculis, quæ ſit ſuffixa po-*
*teſtas,*
*Fronte Crucis titulus triplex triplici*
*lingua*
*Agnoſcat Iudæa legens, & Græcia*
*norit,*
*Et venerata Deum præcenſeat aurea*
*Roma.*

Verùm literas rubri coloris ſculptas in tabella tituli inuenta ſub Innocentio VIII.

ſe vidiſſe teſtatur Author Diarij apud Boſium. Sed hoc difficillimum factu, cum Nicephorus narret iam inde ab inuentione Crucis ſub Conſtantino Imperatore ab hinc annos ferè 1300. ita literas tituli diffluxiſſe, vt vix percipi poſſent. Do eius verba. *Cæterum, quod literæ diffluxerant, & tabula temerè iacta iacebat, difficilis adhuc Diuini ligni inuentio erat, quòd ordine confuſo cruces diſſectæ fuerunt.* Quãquam & hoc, quod Nicephorus aſſerit, difficile eſt creditu, literas videlicet ſtylo inſculptas, & profundè exaratas, potuiſſe temporis aliqua longinquitate ita diffluere, vt nè veſtigia quidem Helenæ ætate remanſerint.

Nicephp. l. 8. c. 29.



Digitized by Google

## De ordine ſcriptionis literarum Tituli. Caput XIII.

HEbræi literas ſuas nõ à læua ad dexteram, ſed ordine retrogrado à dextera ad ſiniſtram ſcribunt. Fuit tamen quoddam tẽpus, quo more noſtro literas à ſiniſtra in dexreram ducebant. Id liquet ex verbis Irenæi ſic ſcribentis: *Et ideò quidem quædam ſecundùm ſubſequentiam ſcribunt* (de Hebræis loquitur) *ſicut & nos: quædam autem retrorſum à dextera parte in ſiniſtram partem retorquentes literas*. Tò ſecundum ſubſequentiam intellige à ſiniſtra in dexteram, more Græcorum, & Latinorum. Et meo iudicio de illa ſcribendi ratione verba facit Irenæus, qua literæ vnius verſus à dextera in ſiniſtram, alterius verò à ſiniſtra in dexterã ducebantur, quemadmo-

Iræneus li. 2. aduerſ. hæreſ. c. 41.

dum boues ſulcos imprimere ſolent. Eiuſmodi eſt inſcriptio illa Græca, de qua Pauſanias, *Inſcriptiones, quæ in arca viſuntur, pleræque priſcis exaratæ ſunt literis. Earum literarum aliæ in rectum tendunt; alias earundem figuras Græci* Βυςροφηδὸν, *bouum arantium conuerſione, appellant, ideſt huiuſmodi: Poſtquam exaratus eſt verſus vnus, verſus alter à fine præcedentis ducitur ordine conuerſo, perinde vt fit in curſu Diauli, hoc eſt, iterati ſtudij.* Hic modus ſcribendi ad priſcos Latinos venit. Iſidorus, *Verſus*, ait, *vulgo vocati ſunt, quia ſic ſcribebant Antiqui, vt aratur terra: à ſiniſtra enim ad dexteram primum deducebant ſtylum; deinde conuertebantur ab inferiore, & rurſum ad dexteram verſus, quos, & hodie ruſtici verſus vocãt.* Hæc ille. Cum ipſis literis hebraicis modus iſte ſcribendi ortum habuit. Conijcio ex prima litera alphabeti hebraici אלף *Aleph*, Syriacè אלף *Eleph*, quæ vox Bouem ſignificat. Angelus Caninius Anglarienſis, & Scaliger exiſtimant Eleph bouem vocari

Pauſanias lib. 5.

Iſid. lib. 6. 24.

Angel. Canin. inſtit. ling. Syria. Ioſeph Scaliger animadu. in Euſeb. Caronol.

ri

ri, quia ſicut hæc litera literarum alphabeti princeps, ita & animalium ob vtilitatem Bos obtinet principatum. At ego opinor, quòd Eleph princeps litera alphabeti tum Hebraici, tum Syriaci, bouem ſignificet, quia tunc temporis Hebræi bouum arantium conuerſionem in literis exarandis imitarentur, & poſt Hebræos Græci, vt habes in Pauſania nuper laudato. Hi quippe hunc ſcriptionis modum Βȣςροφηδόν appellarũt, quod boues imitaretur, qui inter arandum ab extremo ſulco conuertuntur ab eodem latere in proximum. Locum Irenæi aliter explicat doctiſſimus Feu-ardentius; *Secundum ſubſequentiam*, inquit, *ideſt à ſiniſtra in dexteram more Græcorum, & Latinorum. Eo autem modo ſcribunt Hebræi dum alienis characteribus ſuas voces exprimunt, vel alij ab ipſis hebraicè quippiam exarantes, vt de Pilato fertur, qui cum titulum Crucis Chriſti imponeret, hebraicas literas latino more collocauerit.* Vult Feu-ardẽtius literas tituli, etiam hebraicas, more noſtro

Feuard. in annot. ad Iræn.

à ſiniſtro in dexterũ fuiſſe ductas. Sixtus Senenſis, & alij figuram proferunt, in qua tantùm Hebraica inſcriptio à dextera in ſiniſtram; Græca, & Latina à ſiniſtra in dexteram ſcripta conſpicitur. Verum hi Scriptores in manifeſto errore verſantur, cum totus titulus ſit ordine retrogrado ſcriptus. Quod ſanè negare non poſſunt: prçſto enim eſt magna pars illius, ad hçc vſque tempora Romæ ſuperſtes, in qua literæ cùm Hebraicæ, tùm Græcæ, & Latinæ à dextera in ſiniſtram ductæ conſpiciuntur. Illud denique notatione dignum, quod ab Angelo Rocca in bibliotheca Vaticana animaduertitur, Hebrços ſingulas literas inter ſcribendum inchoare à latere læuo in dexterum; etiamſi adiunctionem literarum ad literas ducãt à dextero in ſiniſtrum. Hoc idem obſeruauit Iulius Scaliger lib. 1. de cauſis linguæ latinæ.

Sixtus Senen. in Biblioth.

(✠)

DE

# De Scriptore Tituli.
## Caput XIV.

QVæritur primum in hoc capite vtrū Pilatus manu propria ſcripſerit titulum, an verò alteri ſcribēdum cōmiſerit. Quòd Pilatus ipſe exarauerit, aſſeuerare videntur verba illa Ioannis, *Scripſit autem & titulum Pilatus*. Idipſum indicat ſanè Cyprianus: *Pontius Pilatus, impulſa mente à Deo, accepit tabulam, & titulum ſcripſit*. Adſtipulatur Euthimius: *Scripſit ergo Pilatus dictam cauſam, inſtituitque, vt ſcripta cunctis nota fieret*, &c. Verumenimuerò ſi verba Ioannis introſpicimus apertè perſpiciemus, quod idcirco Euangeliſta ait Pilatum deſcripſiſſe; imò & collocaſſe titulum in Cruce, quia deſcribi, & collocari iuſſit. Sic explicat locum Ioannis Cardinalis Toletus: *Dicitur autem ſcripſiſſe, & poſuiſſe,*

Ioa. 19.

Cypr. tract. de Monte Sina, & Siō.

*quia ſcribi, & poni mandauit.* Ad hæc accedit authoritas Hermiæ Sozomeni lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap. 2. *Hæc ipſa verba*, inquit, *ſicut in ſacro Euangeliorum libro commemoratum eſt, mandato Pilati Præſidis Iudeæ ſupra caput Chriſti ſcripta fuerũt.*

Sim. de Caſ. lib. 13.

Præclarè ad hanc rem Simeon de Caſſia. *Non ſcripſit propria manu Pilatus titulum, ſed vſus eſt* (ſcilicet Ioannes) *loquendi modo, vt quod ſubditi, ſiue Miniſtri pręcepto maioris faciunt, ipſe, qui præcipit, facere videatur.* Deniquè Dionyſius Chartuſienſis Commentarijs in Ioannem, *Scripſit, ideſt ſcribi, fecit ſermonem continẽtem cauſam crucifixionis.*

Quis verò fuerit Scriptor tituli, Iudæus ne an Gentilis, in dubium vocant Scriptores. Iudæum fuiſſe indicat Beda loquens de Cruce Domini: *Sed buxus non fuit in Cruce, niſi tabula de illo ligno ſupra frontem Chriſti fuit, in qua conſcripſerunt Iudæi titulum.* Idem, ſed dubitanter aſſerit Barradas, *Forſitan*, inquit, *Iudæus aliquis verba exarauit in tabula more Iu-*

Beda in collect.

Barrad. in concord. Euang.

*dæorum*

*dæorum*. Horum tamen ſententiæ obſiſtit locus ille Ioannis. *Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, &c. Dicebant ergo Pilato: noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum*. Ex his ergo verbis Euangeliſtæ Iudæos minimè conſcripſiſſe titulum, patet: ſi enim ſcripſiſſent, vtique non in Monte Caluariæ, ſed alibi antea inſcriptionem tituli legiſſent. Deinde immeritò petijſſent à Pilato mutari titulum, quem ipſi manibus proprijs ſcripſiſſent. Quapropter nemo, niſi aliquis Gentilis, linguæ Hebraicæ peritus, inconſultis Iudæis, titulum conſcripſit. Ioan. 19.

Ad extremum ſciſcitabitur quis, vtrũ tot fuerint Scriptores tituli, quot illius inſcriptiones: fuit enim ſcriptus Hebraicè, Græcè, & Latinè. Planè abnuit Nõnus, cum cecinit Nonn. in Ioan.

Ἦν δὲ μιῆς παλάμης νοερῷ κὲ χαραγμένον ὁλκῷ

*Erat autem vnius manus, ſcienti ſignatus tractu.*

Verum

Verum non eſt dubium, quin Pilatus, & ſi titulum non ſcripſerit, ſaltem dictauerit: quod Lucæ Brugenſi, & Iacobo Gretſero probatur.

Luc. Brug. in cap. 27. Matth. Iacob Gretſer. lib. 1. de Cruce c. 26.

## Quis affixerit titulum Cruci, & qua hora, funibus, an clauis. Cap. XV.

IVſſu Pilati non Iudæi, ſed Gentiles, eius ſubminiſtri acceperunt tabellam tituli, & impoſuerunt Cruci. Indicat S. Cyrillus, exponens verba Ioannis, *Erat autem ſcriptum, &c. Hoc certè illud aduerſus nos chirographum, quod* Cruci *affixum à Domino Paulus ait, in quo de Principatibus, Poteſtatibuſq; vt deuictis triumphauit. Nam & ſi titulum hunc non Pilatus, ſed Iudæorum furoris Miniſter affixerit, ſed tamen ipſe affixiſſe ſcribitur, qui affigi permiſit.* Dionyſius Chartuſienſis, *Vnde hæc ſcripſit, & per*

Cyrill. in Ioa. lib. 12. c. 19.

Dionyſ. Chartuſ. in Matth.

*per Miniſtros Cruci affigi iubet*. Lucas Brugenſis, *Impoſuerunt*, ait, *etiam ÿdem milites, iuſſu Pilati*, &c. Luc. Brug. in Matth.

De tempore autem affixionis tituli, an priuſquam Chriſtus Cruci eſſet affixus, an verò poſt, diſſidium nobis quodammodo parit varia ipſa Euangeliſtarum narratio. Nam Matthæus, & Marcus poſt veſtimentorum diuiſionem narrant impoſitionem tituli. Lucas etiam poſt ludibria, & acetum oblatum. Re vera tamen priùs milites miniſterio ſuo explendo vacarunt in Cruci affigendo titulo, deinde diuidendis veſtibus. Quod ex Ioanne compertum habeo, qui tituli affixionem ſecundùm Chriſti Crucifixionem deſcribit, deinde veſtimentorum Chriſti partitionem. Huc faciunt Hugonis Victorini verba, quæ pulcherrimum etiam huiuſce rei myſterium ſub oculis ponunt: *Propterea*, inquit, *& ipſe Dominus Ieſus priùs quidem voluit pati in ligno inferiori, deinde glorificari in ligno ſuperiori, vt ſcilicet priùs exueret nos vetuſtate, deinde indueret nos ſuo* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioa. 19. Hugo Victor. cap. 6. can. Miſſ.



Digitized by Google

*nouitate; priùs enim legitur crucifixus, deinde titulus ſuperpoſitus. Baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum, vbi crucifixerunt eum: ſcripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem.* Hęc ille, iuxta Ioannis ſenſum. Cæteri verò Euangeliſtæ locuti ſunt per figuram recapitulationis. Hæc de tempore.

Alph. Salm. tract. 37.

Sed funibus ne an clauis? funibus cēſuit Salmero, cum ait: inter duo cornua Crucis funiculo hinc inde alligatam fuiſſe tabellam tituli. Verum non funibus, ſed clauis infixam eſſe Cruci tabellam tituli, præclarè docuit Albertus Magnus: *Ad literam*, inquit, *tabella de oliua ſuperiùs per clauum Cruci affixa titulum iſtum deſcripſit*. Lucas item Tudenſis apertè clauorum tituli meminit, *Omnibus piè deferimus, licèt tantùm quatuor claui fixi fuerint in corpore Redemptoris: potuerunt enim per partes diuidi, vel Crucis compages in tranſuerſo ligno, & titulo fuerunt clauis ferreis alligata, qui omnes conſecrati ſunt ipſo Dei Filio in Cruce pendente, & meritò à fidelibus*

Alber. Magnus in Io.

Lucas Tuden. lib. 2. contr. Albigen.

Digitized by Google

*bus omnibus adorantur*: Horum ego ſententiam ſequor: quanquam non vno clauo, quod voluit Albertus Magnus, ſed pluribus, & minimum tribus confixum autumo titulum Cruci. Hoc innuit Cyprianus, vel quis alius ſub nomine Cypriani, tract. de Montibus Sina, & Sion, *In capite*, inquit, *ligni, clauis tabulam cum nomine Regis Iudæorum confixit.* Mallonius quippe aduertit in alijs codicibus legi, *In capite ligni tribus clauis tabulam cum nomine Regis Iudæorum confixit.*

Dan. Mallon. Elucid. de Cruce, & Titulo.

## De loco Crucis, cui titulus infixus. Caput XVI.

SVpra caput Chriſti ſublime fixam Cruci tabellam tituli, & picturæ repræſẽtant, & Scriptores tradunt. Paſchaſius: *Nec in vili loco, ſed ſuper caput, ac ſi trophæum regnantis, vt cunctis pateat legentibus, attolli-*

Paſchaſ. li. in Matth.

tur

Digitized by Google

*tur*. Loquitur Paſchaſius de Titulo. In eandem ſententiam ait Cyprianus, *In capite ligni clauis tabulam cum nomine Regis Iudæorum confixit*. Ambroſius: *Scribitur autem titulus, etiam ſecundum Ioannẽ, & ſuper Crucem ponitur, vt affixo Cruci chyrographo, quod erat contrarium nobis, ſẽtentia vetuſta ceſſaret, non infra Crucem, quia principium ſuper humerum eius*, &c. Et Innocentius Papa: *Fuerunt autem in Cruce Dominica ligna quatuor, ſtipes erectus, & lignum tranſuerſum, truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus*. Mitto cæteros, qui de hac re ſcripſerunt, cum ſit luce clarior.

S. Cyprian. tract. de Mont. Sin. & Sion.
S. Ambroſ. in Luc.
Innoc. Pap. ſerm. 1 de vno Mart.

Exiſtit autem hoc loco quæſtio ſubdifficilis: ligno ne tranſuerſo Crucis an trunco, qui tranſuerſo eminentior extaret, titulus affixus? Contendunt Neoterici quamplurimi, præter titulum ſuperpoſitum, ſtipitem erectum, & lignum trãſuerſum, Crucem habuiſſe aliud lignum, quod ſupra tranſuerſum emineret, ac tabellam tituli ſuſtineret. Huius ſententiæ

op-

Digitized by Google

poſitum maiori probabilitate animum meum percutit: Crux enim ex tribus dũtaxat lateribus compoſita erat, vt literam T referret. Suadent Scriptores grauiſſimi, quorum loca ad hanc rem firmandã alium ex alio producam. Petrus Comeſtor primus occurrit, qui de Cruce hæc narrat in hiſtoria Euangelica: *Crux autẽ non habebat ſuper lignum tranſuerſum aliquod, habens formam Tau.* Succedit Petro Comeſtori Vincentius Bellouacenſis, qui apertè id ſignificauit iiſdem verbis. His conſenſit Albertus Magnus: *Attende, quòd figura Crucis de quatuor lignis, vel fortè de pluribus, meo iudicio erat compoſita,* &c. Poſteà ſubdit: *Et ſic Crux fuit ad modum literæ, quæ Tau vocatur hebraicè; in hac Cruce ſic diſpoſita nihil erectum fuit ſuper.* Id quoque Ludolphus aſſerit: *Ad literam, Nota, quod Crux non habebat aliquid ſuper lignum tranſuerſum, habens tria brachia, ad ſimilitudinem literæ T.* His ſubſcribit Nicolaus Gorranus. *Cum autẽ Crux eſſet primò trium brachiorum, ſimilis li-*

Petr. Comeſt. c. 172. comp. hiſt. Euang.

Vinc. Bellouac. lib. 7. c. 42. Speculi. Albert. in Matth.

Ludolph. de Paſſ. Dom. c. 58.

Nicol. Gorran. in Luc.

*litera Græca Tau*, *Pilatus ſuperaddidit quartum*, &c. Paulus Vuan in ſuo promptuario: *Hanc ergo cauſam ſic ſcriptam in tabula affixit Pilatus Cruci, ante enim illam affixionem Crux ſignum Tau habebat.* Ioãnes EcKius idem ſentit dum ſcribit: *Nec eſt, quod putes Crucem hanc Chriſti ſic fabricatam eſſe, vt ſupra caput truncus extaret eminẽtior tranſuerſo, ſed huiuſmodi fuit, vt capiti Chriſti nihil eſſet, quo ſuſtineri, fulciríque potuiſſet.* Plura in hanc rem Scriptorum loca addere poſſemus, quæ conſultò, ne longiores ſimus, omittimus. Non tamen præteribo locum S. Brigitæ: hæc habet in reuelationibus extrauagãtibus: *Inde extenſus in Cruce* (loquitur ſub perſona Chriſti) *collum meum non habuit reclinatorium, niſi humeros meos.* Vbi clarè inſinuat nihil prorſus ſupra lignum Crucis tranſuerſum extitiſſe, in quod Chriſtus caput inclinaret. Reſtat igitur, vt indagemus quomodo Cruci trium tantùm laterum, & brachiorum fixus fuerit titulus.

Paul. Van. in expl. Paſſion. Chr.

Ioã. EcKius Hom. de Paſſ. Chr.

S. Brigit. c. 51. reuelat. extrauag.

Hugo

Hugo Cardinalis docuit, poſt Chriſti affixionem appoſitum eſſe quartum lignum Cruci, & huic ligno è tranſuerſo tabellam tituli: ſic enim inquit: *Pilatus verò apponi fecit ſuperius brachium, & in illo ex tranſuerſo poſuit tabellam, in qua ſcripſit titulum.* Idipſum habet Albertus Magnus. *Et dicunt quidam, quòd aliud lignũ ſtipiti infixit, quod in altum porrigebatur.* Supradixerat Albertus: *Pilatus autem ſuperius affigi fecit tabulam, in ipſa titulum ſcripſit,* &c. S. Antoninus Florentinorum Archiepiſcopus, tradit tabulam tituli cũ paxillo affixam eſſe Cruci, *Tabula affixa erat paxillo, poſita in parte ſuperiori Crucis in medio, verſus quam caput Ieſu pendebat. Nam Crux per ſe erat ad modũ literæ Tau, nec habebat aliquid ſuper lignum, quod erat tranſuerſum, ſed appoſitus fuit paxillus cum tabula, vt dictum eſt.* Neſcio, quod aliud lignum, ab ipſis cauilla appellatum, appoſitum Cruci ad ſuſtinendum titulum. Petrus Comeſtor, *Sed Pilatus,* inquit, *ſuperpoſuit cauillam, & tabulam affixam, &*

Hugo Card. in Lucam.

Albert. in Matth.

S. Anton. Floren. Archiep. ∫tit. 4. de Paſſ. Dñi c. 6.

Petr. Comeſt. c. 172. cum. hiſt. Euang.

in tabula erat titulus. Hæc eadem ferè verba habet Vincentius Bellouacenſis. Ludolphus etiam: *Poſuit tabulam cum cauilla ſuper Crucem, vt eminentius appareret cauſa mortis eius*. Et Hugo Cardinalis: *Et non eſt mirandum*, inquit, *ſi de diuerſis lignis inueniatur Crux Domini, quia de alio ligno fuit lignum tranſuerſum, & de alio lignum erectum, & de alio truncus terræ infixus, cui infixum eſt lignum longum: & præter hæc ligna ſuperpoſita eſt cauilla à Pilato, in qua poſita eſt tabella; vbi ſcriptus eſt titulus. Hinc eſt, quod Crucibus noſtris ſuperponuntur quaſi quædam paruæ Cruces, vt in vna Cruce videantur eſſe quaſi duæ*. Hæc Vgo Cardinalis: in quibus aduerte modum affixionis tituli, vt ferè alteram Crucem ſuper Crucem Chriſti exhiberet titulus infixus. Quocirca ſi quod coniectura aſſecutus ſum, id in medium proferre licet, quid de hac re ſentio, liberè eloquar. Lignum tranſuerſum Crucis, vt ego arbitror, haud quaquam forma directa, ſed obliqua fuit, figura ſcilicet ſemi-

Vinc. Bell. lou. lib. 7. c. 42. Spec.
Ludolph c. 58. de Paſſ. Dom.
Hugo Card. in Lucam.

micirculi, cui Redemptoris brachia altè affixa, ita eius corpus ſuſtulerunt, nè aliquid, ad quod caput Chriſti conquieſcere poſſet, relinquerent: vtrinq; verò lateri tranſuerſi ligni ſic curuati tabella tituli ſine vllo paxillo, ſiue, vt vocant, cauilla impoſita, ſuper caput Chriſti eminebat.

Et verò non deſunt argumenta, quæ id confirment. Primùm ex propheticis Chriſti Domini verbis id elicio, qui de ſua paſſione loquens, ait: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Quem locum de Chriſto Cruci affixo intelligẽs Hugo Cardinalis, *Nihil erat*, inquit, *ſuper lignum tranſuerſum, vt caput Domini retro penderet: vnde & ait Dominus in Euangelio, Filius hominis non habet vbi reclinet caput ſuum, id eſt non habebit in Cruce.* Idipſum ſentit Albertus Magnus, cum ait: *In hac Cruce ſic diſpoſita, nihil erectum fuit ſuper, vt verificaretur, quod dixit Matth. 8. Filius hominis non habet vbi caput*

Matth. 8. & Luc. 9

Hug. Card. in c. 23 Luc.

Alber. in c. 27 Matth.

*put ſuum reclinet.* Et Ioannes EcKius, *Huiuſmodi fuit* (loquitur de ligno tranſuerſo Crucis) *vt capiti Chriſti nihil eſſet, quo ſuſtineri, fulcirique potuiſſet, iuxtà illud, quod prædixerat: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis nõ habet vbi reclinet caput.* Si ligno Crucis tranſuerſo aliud lignum, ſiue paxillum, ſiue cauilla cum tabella tituli impoſita fuiſſet, certè habuiſſet Chriſtus ad quod conquieſceret caput eius. Secundò fidẽ faciunt huic meæ coniecturæ profanorum loca. Auſonius in hanc rem, *Et Crucis effigie Palamedica porrigitur* φ. Veriſſimũ eſſe, quod litera Phi referat effigiem Crucis, ſed in qua homo appenſus, iam notauit eruditiſſimus Lipſius. At quis erit adeò lippus, & luſcus, vt non perſpiciat valdè diſſimilem fore huiuſmodi literam homini, ſeu Chriſto affixo Cruci ita efformatæ, quemadmodum communiter effingunt pictores? Contra verò Chriſto, eiuſmodi Cruci, quam ſupra deſcripſi, fixo, non tam ouum ouo, vt aiunt, quam

Ioa. EcKius homil. de Paſſ. Dom.

quã hanc literã φ ſimilẽ eſſe, ex Crucifixi figura, quæ infra hoc caput ſubijcietur, apertè cognoſces. Tertio Crux figuram iugi exprimebat. Hinc Statio: *Iugum pendula Crux dicitur.* Imò verò etiam Chriſtus Dominus Crucem ſuam iugum appellauit: *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Huc reſpexit Hilarius, cum ait: *Dempturumque ſe laborem, onuſque promittit, ſi modo eius iugum tollunt, mandatorum ſcilicet ſuorum præcepta ſuſcipiunt, eumque Sacramento Crucis adeant.* Idipſum ſignificat Paſchaſius, *Hoc quippe iugum eſt, de quo ſuperiùs ait, vt tollat vnuſquiſq; eorum mandatorum Dei præcepta, vnà cum Sacramento Crucis, vt ſequatur Chriſtum, quoniam humilis, & mitis eſt.* Ad hoc etiam iugum Euangelicum alluſit certè Theodorus Studita, cum ait: *Crux Diſcipulorum Chriſti leuiſſimum onus humeris impoſitum.* Porrò omnes norunt, iugum,

Statius in Thebaide

Matth. 11

Hilar. c. 11 in Matth.

Paſchaſ. li. 11 in Matt.

Theo Stud. orat. in adr. Cruc. in medio qaadra.

quo boues iugantur , non figuram dire-ctam,ſed formam obliquam obtinere,vt videre eſt in hac figura 

Quarto benedictio Iacob manus permutantis, & dexteram quidem in iunioris , ſiniſtram verò in ſenioris caput imponentis huiuſce crucis figuram retulit. Audi Damaſcenum, *Iacob adorans extremum virgæ, alternantibus manibus liberos Ioſeph benedicens, etiam ſignum hoc crucis deſcribit manifeſtiſſimè*. Nedum crucem, ſed & Chriſtum taliter crucifixum expreſſit. Innuit Tertullianus; *Impoſitis, & intermutatis manibus benedixit, & quidem ita tranſuerſim obliquatis inter ſe, vt Chriſtum* crucifixũ accipe, *deformantes iam tunc portenderent benedictionem in Chriſtũ futuram*. At ſatius cum Lipſio pro τὸ *vt Chriſtum deformantes* legendum puto, *vt Chi deformantes* , litera enim Græcanica X verè manuum illarum figura fuit. Quod autem huiuſmodi litera X crucem Domini imitetur perbellè docuit ex Platone Iuſtinus Martyr in hæc verba ; *Et*

Lib. 4 de orthod. c. 12

De Baptiſmo cap. 8

*il-*

*illud Platonis in Timæo, de Dei Filio naturali ratione dictum cum ait, in mundo eum X litteræ inſtar poſuit, à Moyſe mutuatus eodem modo protulit. In Moyſis enim ſcriptis, &c.* Vbi poſtquam hiſtoriam ſerpētis à Moyſe in tabernaculo fixi dilucidè explicauit, ſtatim ſubdit, *Sic Plato hęc cum legiſſet non planè ſciens, neque intelligens crucis figuram prodidit, ſed X litteræ figura intellecta, vim quę primò Deo proxima erat, in modum X litteræ porrectam eſſe dixit.* Figuram litteræ Græcanicæ X habuit olim etiã littera Hebraica Tau, vt videre eſt in vetuſtiſſimo Alphabeto Characterum Hebraicorum Rab. Azarię apud Villalpandum. Quæ ſanè Dominicæ Cruci ſimilis fuit teſte Hieronymo. *Antiquis Hæbræorum litteris,* inquit, *quibus vſque hodie vtuntur Samaritani extrema Tau littera crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur.* Verum huiuſmodi literarum forma brachia Crucis minimè extenſa in directum, ſed tranſuerſa, & inter ſe obliquata repræ-

Apol. 2. pro Chriſt.

To. 3 de Apparatu, Vrb. & Templi. In c. 9. Eze

ſentat. Præterea id apertè conijcio ex figura ligni, in quo ſerpens Aeneus à Moyſe ſuſpenſus, quodq; Crucis Chriſti Domini fuit potiſſima effigies, vt vno ore fatentur Patres ab ipſomet Chriſto edo-
Io. 3. 14. cti, qui de ſua cruce loquens, ait, *Sicut exaltauit serpentem Moyſes in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis*. Hoc enim lignum fuit examuſſim inſtar furcæ bicorne teſte Rabbi Selomoh, qui vbi in textu Hebraico Num. 21. habetur עלנס *Ngalnes*, & Oleaſtrius vertit *ſuper lignum* tranſtulit לעפרקא *ſuper furcam*.

Et quidē Crucem Domini ad modum furcæ fuiſſe compactam ſuadent latronum Cruces, quæ, vt in pluribus picturis cernere eſt, formam referunt furcæ, quæ olim erant Cruces graſſatorum teſte Calliſtrato in l. Capitalium § famoſos ff. de pænis: *Famoſos latrones furca figendos placuit*. Et Vulpiano de pænis, *Decuriones ad metalla dari non poſſunt, nec furcæ ſubijci*: legunt alij, *furcæ ſuffigi*. Neminem verò latet Crucem Chriſti, & latronum

adeò

adeò inter ſe ſimiles extitiſſe, vt Helena his inuentis diſcernere nequiret, quæ eſſet illa Chriſti. Quis ergo non videt furcam, cum in duo deſinat linguæ ad modum litteræ V, vt apertè tradit Varro, eſſe ea ipſa facie, qua noſtra Crux?

Tandem, nihil eiuſmodi auſus fuiſſem affirmare, niſi vaticinium S. Brigittæ apertè id traderet: cui Chriſtianæ Prophetidi magna profectò in hac re tribuenda eſt fides. Hæc autem ſunt verba Brigittæ: *Erat autem Crux fixa, & brachia eius eleuata, ita vt nodus Crucis inter ſcapulas eſſet, nec vllum capiti reclinatorium Crux preberet: & tabula tituli vtrique brachio ſuper caput eminenti affixa erat.* Aduerte, cordate Lector, Brigittam clarè expreſſiſſe Crucem ea ipſa forma, qua nos deſcripſimus, dum ait, brachia Chriſti in Cruce non extenſa in directum, ſed eleuata fuiſſe, vt nodus crucis ſcapulis ipſius, non capiti reſponderet, & tabula tituli ſine paxillo, vel cauilla

S. Brigitta lib. 4 reuel. c. 70.

pro-

proximè eſſet ſuper caput Chriſti brachijs Crucis affixa. Vide ſubiecta hæc ſchemata.




Digitized by Google




Digitized by Google

## Vtrum Cruces latronum titulis insignitæ. Caput XVII.

RES controuerſa inter doctiſſimos viros, ſit Crux Chriſti ſola, an etiam Cruces latronum titulum habuerint. Sane quidem cum Chriſti, tum latronum Crucibus titulos affixos eſſe, aperte tradit Claudius Guilliaudius. *Quo teſtatam Iudæorum malitiã, inquit, & Chriſti pendentis innocentiam Pilatus faceret, appoſuit titulum, id eſt literas, quæ ſummam facinorum condemnati comprehenderent. Cum enim reliquis duobus,* latrones intelligit, *ſuos pro meritis titulos Pilatus adſcripſiſſet, parti Crucis prominenti ſupra caput Chriſti, titulum ſuum iuſſit affigi, &c.* Quin etiam in dubium reuocat Lucas Brugenſis, an pluribus, & eiſdem ferme linguis, ac titulus Chriſti, ſcripti fuerint tituli latronum. *An autem eiſdem linguis latronum cauſam euulgarit, incertum eſt quidem (ſunt qui putent eam con-*

Claud. Guilliad. in Io.

Luc. Brug. in Luc.

*conſuetudinem magnificentiæ, & magnanimitatis fuiſſe Romanæ, qui ita declararent ſe Dominos mundi, vt ſi quem morte afficerent mundum nollent celari cauſam) certũ eſt tamen, quod titulum Ieſu ad Iudaorum ignominiam, & irritationem varijs linguis publicauit, vt omnibus Nationibus eſſet riſui.* Titulos infixos crucibus latronum ſuſpicatur Maldonatus, dum ſcribit: *Non ſolet quæri, & tamen quæri poſſe video, an etiam latronibus tituli poſiti fuerint. Probabile mihi videtur ſuum quemque titulum etiam habuiſſe: morem enim fuiſſe vſitatũ, vt his, qui agebãtur in crucem, cauſa mortis ſuper crucem poneretur, eoq; inſtituto Chriſto etiam ſuperpoſitum titulum: nam quod Ambroſius in oratione de obitu, & vita Theodoſij, & alij nonnulli Scriptores antiqui tradunt; Crucem Chriſti, cum ab Helena inuenta eſt, ex titulo ab alijs diſcretam fuiſſe, minimè repugnat: potuit enim titulo diſcerni, non quod illa haberet, aliæ non haberent, ſed quod in titulo Crucis Chriſti ſcriptum eſſet, Hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iu-* Ioan. Mald. in Matth.

*Iudæorum: ex quibus verbis perſpicuum erat eam Chriſti Crucem fuiſſe.* Hæc Maldonatus, cui concinit Barradas; ſed ex more Iudæorum Titulum poſitum eſſe crucibus latronum autumat. *Quod ſi mos hic,* inquit, *apud Iudæos erat, crucibus latronum tituli quoque appoſiti ſunt, ex quibus fieret notum eorum crimen: tituli latronum latrocinandi crimen indicabāt, Titulus Chriſti indicabat Regem affectatum.*

Barrad. to. 4 concord. Euang. lib. 9 c. 12

Verumenimuero cruces latronum minime titulum habuiſſe, planè docuit Chryſoſtomus, explicans, cur Pilatus noluerit ad preces Iudæorum mutare Titulum Crucis; *Non tamen Pilatus mutatus eſt, ſed perſtitit in ſententia; non parua in hoc diſpenſatio, ſed magna hic pendet. Cum enim poſtmodum defoſſum eſſet lignū Crucis, nulla de eo cura ſuſcepta, cum & fideles timerent, & alijs vacarent, contingit, vt diu poſt perquireretur: & cum tres Cruces inuentæ eſſent, par eſt, vt quia media erat, & propter Titulum Domini Crucem agnitam; nam latronum cruces titulum non*

Chriſoſt. Hom. 84. in Ioan.

ha-

*habebant.* Chryſoſtomi aſſecla Theophylactus: *Cæterum*, ait, *& aliud magnum quidam diſpẽſatur, quia defoſſis tribus crucibus, in iſta manſit, nè ignoraretur, quæ eſſet Crux Domini: propter hoc diſpenſatũ eſt, vt ſola Titulum haberet, & inſcriptionem, vt per lignum tale cognoſceretur, latronum enim cruces titulum non habebant.* Eiuſdem opinionis eſt Euthymius: *Iuxtà Diuinam autem omnino prouidentiam Titulus ſuper ſolam Chriſti Crucem poſitus eſt. Cum enim tres cruces ſimul terra tunc obruerentur, multis temporibus requiſita poſtmodum Domini Crux, à Titulo potiſſimum fuit cognita.* Et Ioannes Arboreus, qui pulchrè de latronibus illud Pſalmiſtæ: *Memoria eorum perÿt cum ſonitu*, explicat cum ait: *Et hæc viuifica, & ſalutifera Crux ab omni natione facile poterat agnoſci; Nam latronum cruces, quòd digni eſſent ſupplicio mortis, non habebant titulum: vnde rectè ſcriptum eſt de impÿs, & iniuſtis, Memoria eorum perÿt cum ſonitu.* Idipſum ſuggerit Ioannes Iuſtus Lanſpergius; & aliam

Theophyl. in Ioan.

Euth. in Matth.

Ioan. Arb. in Ioan. Pſal. 9

Lanſperg. Hom. 44. in Paſſ. Dom.

aliam ac Chryſoſtomus, Theophylactus; & Euthymius huius rei rationem reddit in hæc verba: *Consuetudo Romanis erat, damnatorum causas, hoc eſt, quare eſſent damnati, ſcribere, ſcripturamq; ponere ſuper capita eorum. Hæc tamen non omnibus fiebat, ſed ſceleratis inſignioribus: nam de latronibus cum Chriſto crucifixis nihil eiusmodi legitur, quod aliquid eorundem crucibus inscriptum ſit, quaſi ijs, qui pro leuiori crimine, quàm Chriſtus forent dã-nati.* In hanc ſententiam, vti ſimillimam veri, magis quàm in alteram, quæ docet Cruces latronum titulis inſignitas, meus inclinat animus; expeditior quippe videtur, & antiquioribus, grauioribuſque Authoribus fulta.

Vtrum

Digitized by Google

# Vtrum Titulus Crucis ſit Hebraicè conſcriptus. Caput XVIII.

SYriaca lingua loquutos tēpore Chriſti Hebręos à reditu è captiuitate Babylonica, ac proīnde titulū crucis Syriacis verbis deſcriptū fuiſſe ישוע בצרא מלכא ריהורא *Ieſciuagbn Natſetaia Malca, Diboudaie* exiſtimant Genebrardus, Lucas Brugenſis, Aloyſius Alcazar, & Franciſcus Rioias. Hos validè redarguit vir doctrina omnigena, & virtute ornatiſſimus, idemque dignitate excellentiſſimus Dux Alcalenſis aurea epiſtola de Titulo Crucis. Quocum libentiſſime conſpiro, atque hac mea, qualiſcunque ea ſit, lucubratione, aduerſarias ratiunculas iam deuictas, pergo magis, magiſq; frangere, & profligare. Quocirca omnia ego loca,

Genebr. in Chron. Luc. Brug. in Ioan. Aloyſ. Alcazar. Franc. Rioias in ep. ad Frāc. Pac.

quę declarant Titulum Crucis Hebraica lingua conſcriptum, breuiter decurram, vt luce clariùs conſpicias, erudite lector, quam procul à vero ſit aduerſariorum opinio.

S. Hieron. epiſt. ad Helio:

S. Hieronymus ad Heliodorum in epitaphio Nepotiani, indicat Titulum Crucis fuiſſe Hebraicè exaratum. *Taceo*, inquit, *de Hebræis, Græcis, & Latinis: quas nationes fidei ſuæ in Crucis Titulo Dominus dedicauit*. Item Hieronymus, ſeu ſub Hieronymi nomine Commentator Marci: *Et erat Titulus cauſæ eius inſcriptus Rex Iudæorum: quod in Titulis prænotatur Pſalmorum, In finem, nè corrumpas, & hoc tribus linguis* מלך יהודים *Melech Iehudim*. Quæ verba haud Syriaca ſunt, ſed Hebraica; Hæc verò eadem habet inter recentiores doctus vir Georgius Vuicelius, cum poſtremas tituli voces exponens ait: *Nobis, inquam, eſt* מלך יהודים *Melech Iehudim, Rex Iudæorum.*

Idem in c. 14. Marci.

Georg. com. ſup. text. Paſſ. Dom.

S. Pagn. lib. interp. nom. Hebr.

Præterea Sanctes Pagninus Hebraicæ linguæ Magiſter eximius Titulum Crucis

ſe

ſe legiſſe teſtatur Hebraicis verbis ſcriptum: *In Titulo*, ait, *ſalutiferę Crucis, qui eſt in Templo Sanctæ Crucis Romæ; quem pluries vidi, & legi, ſic habetur* ישוע הנצרי מלך היהודים *Ieſuab Hanoſtri Melech Haieudim.*

Hanc eandem inſcriptionem Hebraicam Tituli exhibent alij, atq; alij cõplures. Sixtus Senen. ישוע הנצרי מלך היהודים *Iebaſciuangb Hanozri Melech Haieudim.* Sixt. Sen. in bibl.

Albertus Patauinus: *Hebraicè autem Titulus iſte legitur Ieſuab Nozri Melech Iebudim.* Albert. Patau. de Paſſ. Dom.

Antonius Languier Carmelita Scripſit Titulum Pilatus Hebraicè ישוע נצרי מלך יהודים *Iehoſciuab Notſri Melech, Iebudim.* Anton. Languier in Synop. de Paſſ. Dom.

Chriſtianus Adrichomius ישוע נצרי מלך יהודים *Ieſciuach Notſri Melech Haiebudim.* Chriſtian. Adrichom. nu. 252. de ſcrip. Ter.

Mallonius, ישוע נצראי מלך יהודים *Ieboſciuangb Notſri Melech Iebudim.* Dan. Mallon. eluc. de Cruc. & tit.

Porro Salazar diſcurſu 8. ſuper Sym-

bolum tum aſſerit Titulum Crucis lingua antiqua Hebraica fuiſſe conſcriptum; tum etiam hinc colligit Hebræos nunquam Syriacè fuiſſe loquutos. Idipſum obſeruauit Barradas in Euangelia.

Barrad. lib. 8. c. 12. tom. 4. concord. Euang. Rodriq. Iepes in deſcrip. Terræ Sanctæ.

Denique ſententia ipſa in Chriſtum lata, & Amiterni, vt ferunt inuenta, inter alia hęc habet verba, ישוע הנצרי מלך היהודים, *Ieſciuangh Hanozri Melech Haiendim*: quæ verba minime ſunt Syriaca, ſed Hebraica. Et ex his conſtat tempore Chriſti linguam Hebraicam, non autem Syriacam in vſu fuiſſe Iudæis: quod pluribus, & exquiſitis rationibus iam confirmauit in epiſt. de Titulo Crucis Excellentiſſimus Dux Alcalenſium: ac proinde perſpicuum eſt, Titulum Crucis verbis Hebraicis, non Syriacis fuiſſe exaratum.

An

# An integer Titulus ſit triplici lingua deſcriptus. Caput XIX.

SVnt qui addubitent de duobus illis primis Tituli verbis *Ieſus Nazarenus*, num ipſa etiam Græcè, & Latinè fuerint cõſcripta. *In* his Petrus Comeſtor, *Vtrũm autem*, ait, *principium tituli ſcriptum fuerit tribus linguis, incertum eſt: ſed finis, hoc eſt, Rex Iudæorum*. Et Guglielmus Durãdus Comeſtori ſubſcribit: *Vtrum principium tituli ſcriptum fuerit tribus linguis, ignoratur, ſed de hac clauſula Rex Iudæorũ conſtat*. Hugo autem Cardinalis: *Certum eſt autem hoc eſſe ſcriptum tribus linguis, ſcilicet Rex Iudæorum, &c. quod autem præcedit, ſcilicet Ieſus Nazarenus, potuit tãtum Hebraicè ſcribi*. Huc etiam trahi poteſt locus Auguſtini in Ioannem, vbi in-

Petr. Comeſt. c. 171. hiſtor. Euãg.

Duran. lib. 7. de Diuin. Offic.

Hugo Card. in Lucam.

Auguſtin. tract. 117. in Ioan.

nuere videtur, quod tantùm Rex Iudęorum ſit triplici lingua ſcriptum. *Et erat*, inquit, *ſcriptum Hebraicè, Gręcè, & Latinè Rex Iudęorum*. Denique his adſtipulari videtur Textus Gothicus, qui ſic habet Ioan. 19. *Et erat ſcriptum Hebraicè, Gręcè, & Latinè Rex Iudęorum.*

Ioan. 19

Attamen non ſolùm Hebraicè, verùm etiam Græcè, & Latinè fuiſſe titulum integrè ſcriptum, liquet ex titulo Romæ in templo ſanctæ Crucis in Ieruſalem inuento, & aſſeruato. Id verò apertiſſimè teſtatur Simeon de Caſſia, cum ait: *Vnde vt Ieſus Nazarenus ſcriptum erat: primò elementis Hebraicis, quia ipſe de genere illo erat: Secundò Græcis elementis, &c.* Huic Cardinalis Toletus conſenſit his verbis: *Scriptus autem erat titulus Hebraicè, Græcè, & Latinè; non quidem partim Hebraicè, partim Græcè, partim Latinè, ſed totus titulus integer tribus idiomatibus fuit inſcriptus, vt legi facilè à quampluribus poſſet.* Hos denique ſequuntur Didacus Stella, & nonnulli alij, quos, nè faſtidio ſim, referre ſuperſedeo.

Sim. de Caſſia dub. 13.

Tolet. in Ioan.

Didac. Stel. in Luc.

Po-

Digitized by Google

Poſtremum inſcriptionis tituli verbum τό Iudæorum, Hebraicè יהודים Iehudim, Græcè ἐξομολογήντων, Latinè Confitentium ſcriptum eſſe ſignificauit Pſeudo Hieronymus in Marcum: *Et hoc tribus linguis Melech Iehudim. Vaſileus Exomologhiton. Rex confitentium.* Huic aſſentitur Hugo Victorinus. *Non ter erat ſcriptus titulus, ſed in partibus illis tres linguæ continebantur, vt dicit Hieronymus; ſic Malcus Iudæorum Exomoloſon.* Totidem pænè verba, ac illa PſeudoHieronymi exſcribit Hugo Cardinalis in Lucam. Et Petrus Comeſtor in hiſtoria Euangelica, *Sic eſt ſcriptus Hebraicè Malcus Iudæorum, Græcè Baſileos exomoloſton, Latinè Rex confitentium.* Tale quid lege apud Georgium Vuicelium in commentarijs ſuper textu Paſſionis Domini: *Nobis inquam, eſt Melech Iehudim* Βασιλεὺς τῶν ἐξομολογήντων. Ab his leuiter diſſidet Albertus Patauinus, cum ſcribit, *Melech Iehudim* Hæbraicè, Græcè, Βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων, Latinè *Rex confitentium* fuiſſe in tabella tituli exaratū.

Hug. Victori. in Ioan.

Alber. Patau. ſerm. de Paſſ. Dom.

Sed horum quidem ſententiam coarguũt verba ipſa omnium Euangeliſtarũ, quæ tum Græcè Βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων, cum Latinè *Rex Iudæorum* conſtanter retinent.

## An integra, & germana Tituli inſcriptio hæc ſit: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Caput XX.

NIhil ambigi poteſt, quin id in magnam controuerſiam, diſceptationemque vocari poſſit. Nam ſæpè accidit, vt res minimè dubitanda in maxima contentione ponatur. Huius, quàm veritatis, cupidior Franciſcus Rioias omnes ſuos neruos in eo contendit, vt planum faciat, tituli Crucis omnia hæc verba fuiſſe, *Hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*; iam enim Aloyſius Alcaſar in eam formulam pingi, inſcribique tabulam Crucis cura-

Fran. Rio. in ep. ad Frác. Pacecum

uerat

uerat. Hunc in epiſtola illa grauiſſimis verbis, ſententijſq; plena Μυστηγέτης Hiſpanicus, vir omnium planè doctrina, atque optimarum artium ſtudijs eruditiſſimus, Excellentiſſimus, inquam, Dux Alcalēſis pluribus refellit, inſcriptionemq; tituli fuiſſe tantummodò in hæc quatuor verba ſcriptam, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, luculenter demonſtrat. Poſt multa autem, quibus Rioias ſuum Aloyſium ab argumentis Excellentiſſimi Ducis Alcalenſium tueri, ac defendere conatur, ſubdit: *Qua ratione probari poteſt, eſſe traditionē Eccleſiaſticam, quòd hęc tantū verba fuerint in titulo Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Dixerat enim Excellentiſſimus Dux Alcalenſium, perſpicuum eſſe ex traditione Eccleſiaſtica, illa dumtaxat verba fuiſſe in titulo ſcripta.

Excell. Dux Alcal. epiſt. de Titulo Crucis.

Verumenimuerò Excellentiſſimus Dux in album collimauit, cum Patres, & Scriptores ferè omnes, qui de titulo Crucis verba faciunt, expreſsè id tradāt. Etenim quid aliud eſt traditio Eccleſia-

ſtica

ſtica, niſi perpetua Eccleſiaſticorum Scriptorum inter ſe de aliqua re conſpiratio? Quod vt planiùs, & apertius explicem, idoneorum teſtium centuriam in aciem producam, eamque in duplex agmen diuiſam: alteram veterum Patrũ, Neotericorum Scriptorum alteram. Hęc non perturbato temporum ordine, ſed iuxtà annorum ſeriem, quibus Scriptores vixerunt, inſtruxi; ijs exceptis, qui ſuperiori ſæculo floruere. Nobilium autem Auctorum phalanx, quam mihi Excellentiſſimus Dux Alcalenſis in epiſt. de Titulo Crucis dedit, ſtellulis notata, quaſi quibuſdam inſignibus à cæteris diſtincta apparebit.

## Teſtimoniorum agmen veterum Patrum,& Scriptorum.

PRimum eſto viri eloquentiſsimi, & ſanctiſsimi Cypriani Epiſcopi Chartaginienſis, qui ſcripſit circa annum ſalutis 250. in tract. de Monti-

bus

bus Sina, & Sion. Huius opuſculi, licèt ſtylus, & argumentum refragentur, nè Cypriani credatur, quippè qui ex Hebræo vllam interpretationem ſequi non ſoleat: tamen, vt notat Pamelius, Cypriano illud aſcribunt varij Codices M. SS. Et iam olim Trithemius, Antoninus, & Vincentius. Cuiuſcunque autem ſit, prorſus mihi perſuadeo cum Pamelio, eadem Cypriani ætate conſcriptum ab Africano homine. Hæc ſunt illius verba: *Pontius Pilatus, impulſa mente à Deo, accepit tabulam, & titulum ſcripſit tribus linguis, Hebraicè, Græcè, & Latinè Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

* II. eſt Victoris Antiocheni, cuius ætate Hieroſolymitani templi fundamenta, & parietinæ extabant, vt ipſemet Victor. in cap. 13. Marci fatetur, vnde ante Iuliani tempora vixit, videlicet circa annum Chriſti 340. teſte Coſterio in compendio controuerſiarum: *Ea autem*, inquit Victor, *erat eiuſmodi ſcriptura Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Victor. Antiochen. in Marc.

III. eſt

III. eſt S. Ambroſij, Commentarijs in Lucam: *Titulus autem erat ſecundum Ioannem, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Vixit autem S. Ambroſius Gratiano, & Theodoſio Imp.

S. Ambroſ. in c. 23. Lu.

IV. eſt eiuſdem Ambroſij oratione de obitu Theodoſij: *Inuenit quia in medio patibulo prælatus Titulus erat Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum: hinc collecta eſt ſeries veritatis, &c.*

Idem orat. de obitu Theodoſij.

V. eſt Theophili Epiſcopi Alexandrini, qui vixit anno Domini 390. ſcribentis in hæc verba: *Legimus in Euangeliõ, cum Dominus, atque Saluator fortitudinis ſuæ, & patientiæ exemplar oſtẽdens, Crucem ſcanderet, Pilatus inſcripſit titulum, & poſuit ſuper caput eius Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Theoph. Alex. in ep. 2. Paſchali cõtr. Origen.

VI. eſt Hermiæ Sozomeni clariſſimi Hiſtorici, qui floruit circa annum 440. & loquens de Titulo ab Helena inuento, ait: *Quæ verba, ac literæ non aliud complectebãtur, quàm Ieſum Nazarenum Regem Iudæorum.*

Sozomi lib. 2. cap. 1.

VII.

VII. eſt Socratis, Sozomeno coætanei apud Caſſiodorum in hiſtoria tripartita, ex eo hæc recitantem: *Et palam facto Domini monumento, apparuerunt circa id ſuffoſſa tres Cruces, & claui ſimul, & Titulus literis Hebraicis, Latiniſque conſcriptus, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Socr. apud Caſſiod. lib. 2. c. 18. hiſt. tripart.

VIII. eſt Pauli Diaconi, Deſiderio Regi Longobardorum quondam à Secretis, deinde Monachi Caſinenſis, qui claruit circa annum 774. *Apparuerunt, & circa illud ſuffoſſa tres Cruces, & claui ſimul, & Titulus literis Hebraïs, Græcis, & Latinis conſcriptus Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Paul. Diac. lib. 11.

* IX. eſt Paſcaſij Ratperti, qui vixit tempore Paſchalis Papę primi, & Ludouici Imperatoris anno Domini 820. is ait: *Nam & in Titulo hoc confirmat, cum iuſſit ſcribi ſuper eum Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Paſchaſ. lib. 12. in Matt.

X. eſt Nicolai Papæ primi, qui in Apoſtolica Sede anno Chriſti 858. ſedere cæpit, in epiſt. ad Michalem Imperatorem

ratorem, quæ habetur tom. 3. Conciliorum: *Et quæ* (de Latina lingua loquitur) *cum Hebræa, atque Græca in Titulo Domini à reliquis discreta, principatum tenens, omnibus Nationibus prædicat: Iesum Nazarenum Regem Iudæorum: quem Titulum multi Iudæorum corrumpere voluerũt, &c.*

X I. eſt S. Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi, qui claruit anno 1081. *Et ſcripſit Pilatus ſuper caput eius literis Hebraicis, Græcis, & Latinis, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

D. Anſel. de Paſſ. Dom.

X I I. eſt Euthymij Zigaboni Monachi, qui floruit anno 1119. *Erat autem ſcriptum Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Euthym. Zigab. in Mat.

X I I I. eſt Ruperti Abbatis Tuitienſis, qui vixit tempore Paſchalis Papæ II. circa annum à Chriſto nato 1119. Hic lib. de Diuinis Officijs loquens de Titulo Crucis, inquit: *Et ſcripſit Pilatus ſuper caput eius literis Hebraicis, Græcis, & Latinis Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Ruper. lib. 12. c. 20. de Vict. Verb.

X I V. eſt eiuſdem lib. 12. cap. 20. de victor. Verb. vbi clarè innuit, Titulũ Cru-

cis

cis fuiſſe *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

XV. eſt eiuſdemmet Ruperti lib. 2. in Matth. *At Ioannes, &c. totumque nobis ſcripſit Titulum Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

XVI. eſt Petri Comeſtoris, qui & Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ dictus, floruit anno 1150. in hiſtoria Euangelica: *Scripſit Pilatus Titulum cauſæ eius, ideſt in Titulo cauſam mortis eius, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Petr.Comeſtor. c. 172. hiſt.Euang.

XVII. eſt Iacobi à Vitriaco S. R. E. Cardinalis, qui claruit Gregorio IX. Pōtifice, anno 1240. hic ſerm. 76. feriæ 6. paraſceues ita inquit: *Scripſit autem & Titulum Pilatus Hebraicè, Græcè, & Latinè Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Iacob.à Vitriac.ſer.76.

XVIII. eſt Vincentij Bellouacenſis Ordinis Prædicatorum, qui vixit tēpore Innocentij IV. circa annum ſalutis 1250. *Scripſit autem Pilatus Titulum cauſa eius, ideſt in Titulo cauſam mortis eius Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Vinc.Bellouac lib. 7. c. 32. ſpec.hiſt.

XIX. eſt Alberti, ob ſingularem eius ſa- Alber.Mag. in Marc

Digitized by Google

ſapientiam cognomento Magni, qui floruit anno 1265. Referens, quod Euangeliſta Marcus dixerit Titulum Crucis fuiſſe *Rex Iudæorum*, ait, *Huic Titulo additur Ioannis 19. Ieſus Nazarenus, ſed quia hoc cauſam crucifixionis ſibi non obÿciebat, ideo hic non ponitur.*

S. Tho. comment. in Pſ. 85.

XX. eſt S. Thomæ Aquinatis, Alberti diſcipuli, qui ſcripſit anno 1275. Et Commentarÿs in Pſalmo loquens de Titulo Crucis: *Et ſecundum hoc*, inquit, *tangit Hiſtoriam in Pſalmo iſto de nouo, ſecundum dicitur à Ioanne 19 quod Chriſto crucifixo impoſuit Pilatus Titulum ſuper caput eius, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorũ.* Sic legendus locus S. Thomæ, non autẽ vt habent eius libri typis excuſſi, *Hic eſt Ieſus, &c.* librariorum enim incuria gloſſema huiuſmodi fuit inductum: nullus quippe codex Euangelij Ioannis ſiue Græcus, ſiue Latinus, ſiue typis expreſſus, ſiue manuſcriptus, habet illa verba *Hic eſt*, ſed cantũ Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.

XXI.

XXI. eſt Guiglielmi Durandi, dicti Speculatoris, Iuriſconſulti inſignis, Epiſcopi Mimatenſis, qui floruit anno Chriſti 1280. *Scriptus fuit* (loquitur de Titulo) *tribus linguis, Hebraicè, Græcè, & Latinè Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Guglielmi Duran. lib. 6 Ration. Diu. Offic.

XXII. eſt Alberti Patauini, Auguſtinianæ familiæ Theologi, & Aegydij Romani alumni Pariſijs, omnium ſua ætate præconum facilè Principis. Vixit anno 1300. teſte Trithemio: *Scripſit autem Pilatus Titulum cauſæ mortis Chriſti literis Hebraicis, Græcis, & Latinis Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Alber. Patau. ſer. de Paſſ. Dom.

XXIII. eſt Petri de Padula, ſeu Paludani, Ordinis *Prædicatorum*, *Patriarchæ* Hieroſolymitani (alijs autem Conſtantinopolitani) qui & Iuriſconſultiſſimus, & inter Theologos celeberrimus claruit an. 1330. vt ſcribit Sixtus Senen. vel an. 1262. teſte Alberto Veneto, vel anno 1296. vt autumat Eiſingerius. Hic in enarrat. 1. de Exaltat. S. Crucis, ſuper illa Ezech. verba: *Erat liber inuolutus*,

Petr de Palud. enar. 1 de exalt. Cruc.

G in

inquit: *Iſte liber eſt Crux Chriſti: nã tria ſunt, quæ per congregationem foliorum librũ faciunt, ſcilicet Scriptura, Lectura, & Figura: primò eſt ſcriptura, quia in eo per Pilatum fuit ſcriptus Titulus triumphalis, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Ludolph. c. 63. de Paſſ. Dom.

XXIV. eſt Ludolphi Cartuſienſis, Petro Paludano Synchroni, floruit enim circa annum Domini 1330. *Scripſit autẽ Pilatus in Titulo cauſam mortis eius, Ieſus, in quo exprimitur proprium nomen eius, Nazarenus, quod patriam, et Rex Iudæorũ, in quo exprimitur cauſa mortis ipſius.* Vide vt Ludolphus referat tantummodo hæc quatuor verba Tituli *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Simon de Caſſia lib. 3

XXV. eſt Simeonis de Caſſia Religioſi Ordinis S. Auguſtini, qui vixit anno 1340. *Exaratus,* inquit, *Titulus erat, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

S. Anton. Archiep. Floren. c. 6 tit. 5 de Paſſ. Dom.

XXVI. eſt Sancti Antonini Archiepiſcopi Florentini, viri doctiſſimi, atque Sanctiſſimi, qui claruit anno Domini 1445. *Scriptura autem Tituli hęc erat, Ieſus*

*ſus Nazarenus Rex Iudaeorum.*

XXVII. eſt eiuſdem Diui Antonini ſermone in paraſceue: *Pilatus autem ſcripſit Titulum literis Hebraicis, Grecis, & Latinis, & poſuit ſuper Crucem, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

XXVIII. eſt Dionyſij Cartuſienſis qui vixit anno ſalutis 1450. in tract. de paſſione Domini, iuxta textum quatuor Euangeliſtarum enarrata: *Superiori parti Crucis affixit illam ſcripturam in tabula, in qua ſcripta erant verba ſequentia, vtpote Ieſus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Hactenus veteres *Patres*, & Scriptores: ad neotericos progredior; vt veritas hæc omni genere teſtium, atq; ex omni propemodùm ætate, loco, & profeſſione circumuallata maneat.

## Agmen Teſtium Neotericorũ.

XXIX. EſSt Ioannis Baptiſtæ Platinę, qui vixit tempore Sixti IV. anno 1472. in vita Silueſtri: *In vna* (loquitur de Cruce Chriſti ab Helena in-

uenta) *inſcriptio illa legebatur Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

XXX. eſt Iacobi Philippi Foreſti Bergomenſis Auguſtiniani, qui viuebat anno 1494. Is in ſupplemento Chron. de Inuentione Crucis agens, inquit: *In quarum vna inscriptio illa legebatur tribus linguis, ſcilicet, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Auctor hor. Reg. ſer. de Paſſ. Dom.

XXXI. eſt Auctoris Hortuli Reginæ, quod opus anno 1492. prodijt in lucem: in quo expreſsè traditur Titulum Crucis fuiſſe *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Petr. ad Boues ſer. 24

XXXII. eſt Petri ad Boues, Ordinis Minorum, & Galliarum Reginæ a confeſſionibus, vt ſcribit Ludouicus Villot in libro, quem prænotauit Athenæ, qui, vt opinor, ſub idem tempus floruit, *Et Dominum eſſe victorem in morte bene declarauit Spiritus ſanctus quando mouit Pilatum ad ſcribendum Titulum Crucis Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Gugliel Pepin de ſept. Chriſt. ſtat. patien.

XXXIII. Eſt Guilielmi Pepin Galli, Re-

Religioſi Dominicanæ familiæ, qui cla-ruit anno Domini 1510. in die ſexta paraſceue de ſeptima Chriſti ſtatione patientis: *Pilatus ergo iuſſit ſcribi in quadã tabula Ieſus Nazarenus Rex Iudęorũ.*

XXXIV. eſt Hugonis de Prato florido eiuſdem Ordinis, ac temporis Guilielmi Pepin: *Scripſit autem & Titulum Pilatus, ſcilicet cauſam ipſius, & poſuit ſuper Crucem: erat autem ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Hug. de Prato Flor. ſer. 52 in f. r. 6 Paraſceue.

XXXV. eſt Pauli Vuan, Eccleſiæ Paſſauienſis presbyteri, qui vixit anno 1516. concionatoris celeberrimi, in expoſitione literali, & morali paſſionis Domini: *Pilatus verò cum militibus ſcripſit cauſam mortis in tabula, videlicet, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

XXXVI. eſt Sylueſtri de Priero Sacri Palatij Magiſtri vixit anno 1520. in Quadrageſimali aureo. *Pilatus ſcripſit titulum literis Hebraicis, Gręcis, & Latinis, & poſuit ſuper Crucem Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*



Digitized by Google

XXXVII. eſt Ioannis Eckij Sueui, Theologi,& catholicę fidei aduerſus Lutherum, ac reliquos hæreticos propugnatoris acerrimi, qui florebat an. 1530. Innuit in homil.de Paſſione Chriſti, titulum Crucis fuiſſe *Ieſus Nazarenus Rex Iudęorum.*

Ioan. EcK. concion. de paſſ. Dom.

XXXIIX. eſt Marci Maruli lib.2.de triumpho Crucis, *Tunc Pilatus Cruci titulum appoſuit, Hebraicis, Gracis,& Latinis conſcriptum literis, Ieſus Nazarenus Rex Iudęorum.*

XXXIX. eſt Bonauenturæ à Cotiniola, *Erat ſcriptum* (ait de titulo) *Iesus Nazarenus Rex Iudęorum.*

Bonau. à Cotiniol. ſer. de paſſ. Dom.

XXXX. eſt Simplicis, Ordinis Minorum, laudati à Mallonio, Hic refert, titulum Crucis miraculosè in fronte cuiuſdam defũcti aureis literis deſignatum fuiſſe in hæc verba, *Iesus Nazarenus Rex Iudęorum.*

XXXXI. eſt Iacobi à Laoſana, viri magni nominis, & ingenij, in ſer.2. de Paſſ. Dom. *Scripſit Pilatus in titulo Iesus*

Na-

*Nazarenus Rex Iudæorum.*

XXXXII. eſt Roberti Caraccioli de Licio, Eccleſiaſtis inſignis, qui ab Alphonſo Calabriæ Duce Prædicatorum corona, & tuba nobiliſſima appellatur. Hic nouus quaſi Orator, Diuini Verbi modum ſæculo monſtrauit, & trecentos perſuadendo ad Franciſcanum Ordinem deduxit, teſte Volaterrano. In Quadrageſimali de pœnitentia dicto, *Erat autem*, inquit, *ſcriptum Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Robert. Caracc. in quadrag. de pœnitentia

XXXXIII. eſt eiuſdem, qui in ſerm. 23. Speculi fidei cap. 3. ait ſcripturam tituli fuiſſe *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

XXXXIV. eſt Matthiæ Brendebachij in Matthæum. *Erat autem ſcriptum, vt pergit Ioannes, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Matth. Brendeb. in c. 27 Matth.

XXXXV. eſt Sixti Senenſis, *Pontius Pilatus* (inquit) &c. *titulum, & cauſam damnationis Chriſti ceruici eius impoſuit quatuor verbis Hebraicè, Græcè, & Latinè,*

Sixt. Senens. in biblioth.

*quam breuiſſimè expreſſam ad hunc modum. Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

XXXXVI. eſt Volaterrani in Anthropologia vbi de Innocentio VIII. loquitur: *Eius tempore inuentus Crucis titulus in Baſilica in medio templi pariete occluſus, cum triplici lingua Ieſus Nazarenus Rex. Cæterum deficiunt.*

Volat. lib. 22 Anthropog.

XXXXVII. eſt Gilberti Genebrardi, trium linguarum peritiſſimi, & ſacrarum Scripturarum explanatoris eximij, qui hæc eadem Volaterrani verba recitat in ſua Chronologia.

Genebr. in Chron.

XXXXVIII. eſt Calliſti *P*lacētini Canonici Lateranenſis, qui in enarratione de *P*aſſione Domini affirmat titulū Crucis fuiſſe *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

XLIX. eſt Ioa. Iuſti Lanſpergij Charuſiani, ampliſſimi exercitiorum, & meditationum ſpiritualium Scriptoris, in epiſt. parçn. *Scriptus eſt titulus, Crucique ſuperpoſitus, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

L. eſt eiuſdem Lanſpergij theoremate

te 24. beneficiorum Dei: *Appoſuit ſuper eius caput cauſam ſignificantem crucifixionis, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

LI Eſt eiuſdem homil. 44. de Paſſione Domini: *Hic eſt autem titulus,* inquit, *Chriſto in Cruce ſuperpoſitus, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

LII. eſt etiam ipſius Lanſpergij, qui pluries de Paſſione Domini admodum piè, ſanctèq; loquitur theoria 4. *Amabiliſſime Ieſu ſuper benedictum caput tuum Cruci præterea impoſitus à Pilato eſt titulus, cauſam tuæ paſſionis habens ſcriptam, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

LIII. eſt Ludouici Bloſij Abatis Lætieſis, rerum aſceticarum Scriptoris egregij; *Eamque ſupra Crucem triplici idiomate affigi iubet his verbis, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Bloſ. c. 18. explic. paſſ. Dom.

LIV. eſt Georgij Vuicelij poſtil. ſuper text. Paſſ. Chr. *Titulus ille, cauſam Chriſti continens, Crucis gloriam luce clariùs expreſſit, idque texente Deo, veritas eſt dicere Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

LV. eſt

Claud. Guilliaud. c. 27. Matth.

LV. eſt Claudij Guilliaudij Comment. in Matth. *Cum enim Pilatus titulum hunc Ieſus Nazarenus Rex Iudeorum, Cruci ceu crimen, atque accuſationem imponeret, &c.*

L V I. eſt eiuſdem Claudij homil. de Paſſ. Dom.

LVII. eſt Cornelij Ianſenij in Concordantia Euangelica: *Ioannem autem, qui poſtremus ſcripſit, & crucifixioni Dominicæ interfuit, ita ſcripſiſſe, ſicut à Pilato ſcriptus fuit titulus, oſtendit, Qui cum parte Crucis Domini Romæ ſeruatur: proinde dicendum, alios Euangeliſtas non verba deſcripta annumerare, ſed tantùm ſenſum exprimere voluiſſe.*

LVIII. eſt Ioannis Arborei Theologi Pariſienſis, Commēt. in Matth. & Marc.

L IX. eſt Lucæ Brugenſis in Ioannē: *ſcriptum in eo titulo, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorū: hęc erant ipſiſſima tituli verba, &c.*

Tho. Stapl. lib. 3. c. 3. ſec. 8. defēſ. auctor. Eccleſ.

L X. eſt Thomæ Stapletonij, *Ait Euangeliſta Prophetas de Chriſto prædixiſſe quoniam Nazarenus vocabitur: agitur*

hic

*hic de ipſa vocabuli appellatione, &c. quę ſanè ita vulgaris erat, vt in ipſa Cruce titulus poſitus hoc habuerit, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

LXI. eſt Alphonſi Salmeronis *Ioannes verò, qui poſtremus ſcripſit, & Dominicæ crucifixioni interfuit, ita ſcripſit, vt Pilatus voluit, & tabella illa, in qua fuit ſcriptus titulus hic, qui Romę aſſeruatur, oſtendit illum fuiſſe verum titulum: reliqui verò Euãgeliſtę non tam verba, quàm ſenſum expreſſerunt.* Alphon. Salmer. tract. 37.

LXII. Eſt Petri Beſſæi in concionibus theologicis. *Porro ſceleratus ille Iudex Pilatus, vt Chriſtum iuſte condemnatum fuiſſe oſtenderet, &c. titulum Cruci impoſuit Ieſus Nazarenus Rex Iudęorum.*

LXIII. eſt Antonij Lanquiet Carmelitæ, in Synopſi de Paſſione Domini.

LXIV eſt Thomæ Bexaumis, qui ſect. 10. de *Paſſione* Dñi indicat, titulum Crucis fuiſſe *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

LXV. eſt Auendagni in Matthæum.

LXVI. Cornelij Croci. *Et erat inſcriptio* Cornel. Croc. medu. 11.

*ſcriptio cauſæ illius ſcripta Hebraicè, Græcè, & Latinè Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Alphon. ab Orozco declam. 24. in paſſ. Dom.

LXVII. eſt Alphonſi ab Orozco, *Philippi II. Hiſpaniarum Regis à Confeſſionibus.*

Chriſt. Adrichom. n. 252. deſcipt. Ieruſal.

LXVIII. eſt Chriſtiani Adrichomii.

Ioach. Perion. c. 132.

LXIX. eſt Ioachimi Perionii de vita Chriſti: *Pilatus cauſam illius in tabella Latinis, Græcis, Hebraicis literis ſcriptam, in ſumma Cruce fixit: erat autem inſcriptio talis: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

LXX. eſt Franciſci Riberæ commen. in Ioan. *Ioannes integram inſcriptionem impoſuit, vt indicat titulus Crucis, qui hodie aſſeruatur in templo ſanctæ Crucis.*

Rodriq. de Iepes in deſcript. Terræ ſanctæ.

LXXI. eſt Rodriquez de Iepes Hiſpani.

LXXII. eſt Michaelis Ghiſlerii Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum, qui in cap. 1. Cantic. ait: *Titulus ille, qui fuit affixus Chriſto, quatuor tantùm verba habuit, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

LXXIII. eſt Alphonſi Villega, diſcurſu



Digitized by Google

ſu de Paſſione Domini.

LXXIV. Petri Opmeeri. *Scripſit autẽ Pilatus, & titulum magno Sacramento iudicante, &c. Ieſum eſſe Saluatorem, Regem, ac Pontificem, florem nimirum laudantium, ac confitentium Deum, quod vti Hebraicis ſignificat, ita & Latinis numerorum characteribus, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Petr. Opm. in opere Chron.

LXXV. eſt Emanuelis Sà in Ioannẽ: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum hæc eadẽ verba ſunt in titulo, qui Romę aſſeruatur in Aede Sanctæ Crucis. Alij Euangeliſtæ sẽſum retulerunt.*

LXXVI. eſt Franciſci Coſteri in medit. de Paſſ. Dom. *Roga Dominum, vt hũc titulum inſculpat cordi tuo Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

* LXXVII. eſt Franciſci Toleti: *Hanc ſolam, inquit, cęteri Euangeliſtæ narrarũt: at Ioannes titulum integrum deſcripſit, qualis nunc habetur apud nos Romæ.* Toler. in Ioann.

LXXVIII. eſt Alphonſi Paleotti Archiepiſcopi Bononienſis, in explicatione ſacræ Syndonis: *Sed quoniam re vera* Alphon. Paleot. in explicat. ſacr. Synod. c. 6.

Rex

*Rex erat illorum, diuina prouidentia factũ, vt Pilatus inſcribi iuberet, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Dan. Mallon. Elucid. de Cruc. & titulo.

LXXIX. eſt Danielis Mallonii Hieronymianæ Congregationis in Italia,& *Paleotti* Commentatoris.

Hect. Pint. in c.32.Iſa.

LXXX. eſt *Hectoris Pinti* Ordinis D. Hieronymi in Hiſpania, qui ait ſe vidiſſe titulum Crucis inſcriptum *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Barrad. l.7. c. 12. concord. Euãg. tom. 4.

LXXXI. eſt Barrad. in concord. Euang. *Romæ aſſeruatus titulus oſtendit Ioannis verba in eo fuiſſe ſcripta:* Et paulò poſt ſubdit: *Sic autem ſcripſit, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Ioan. Haie c.188.Triũ. Euang.

LXXXII. eſt Ioannis Haie: *Eadem verba, quæ ſunt in titulo, qui Romę aſſeruatur in Aedę Sanctæ Crucis, eodemque ordine, quo à Ioanne ponuntur; alij ſiquidem Euãgeliſtæ ſenſum retulerunt.*

Hiero. Natal. in concord. Euãg.

LXXXIII. eſt Hieronymi Natalis, qui profert titulum ſcriptum his verbis, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Auguſt. Mann. cap. 188. hiſtor. ſelect.

LXXXIV. eſt Auguſtini Manni, *Cęterũ*

ſolus

Digitized by Google

*ſolus Ioannes integrnm titulum, & verba retulit, vt patet ex ipſo titulo, qui Romę adhuc aſſeruatur, & religioſè, in templo Sanctę Crucis.*

LXXXV. eſt Ioannis Chartagenæ, qui de titulo Crucis loquens, aſſerit verba tituli eſſe, *Ieſus Nazarenus Rex Iudęorum*. Ioan. Chartag. homil. 25. cathol. lib. 10.

LXXXVI. eſt Iacobi Gretſeri: *Solus Ioannes integrum titulum, & verba retulit, vt patet ex ipſa titulo, qui Romę adhuc aſſeruatur.* Iacob. Gretſer. lib. 1. de Cruce c. 27.

LXXXVII. eſt Franciſci Mariæ Vallardi in vita Innocentii Papæ VIII. Italicè conſcripta, vbi narrat, inſcriptionem tituli Crucis fuiſſe Hebraicè, Græcè, & Latinè *Ieſus Nazarenus Rex Iudęorum.*

LXXXVIII. eſt Egberti Spitoldii in medit. in paſſ. Dom. de titulo Crucis *Erat autem ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudęorum.*

LXXXIX. eſt Aſcanii Martinenghi in Gloſſa magna, vbi docuit, quod titulus Crucis fuit, *Ieſus Nazarenus Rex Iudęorum.*

XC.

Digitized by Google

XC. eſt Ludouici Tenæ, olim in Academia Complutenſi Sacræ Theologiæ profeſſoris primarii, ſcribentis titulum Crucis fuiſſe *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Ludouic. Ten in c. 15 ep. ad Heb. diſ. 30. c. 2.

XCI. eſt Ioannis Suarez Epiſcopi Conynbricenſis in comment. in Marc. *Mirabile eſt, quod vidimus, obſtracta non arte* (loquitur de dictione Tituli τὸ Iudæorum) *Sed diuino conſilio fuit in omnibus, in quas inſcriptis erat redacta linguas; itaque tantummodo nunc hæc habentur verba Ieſus Nazarenus Rex; tanquam oculis nobis oſtendatur prophetia Danielis, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt.*

XCII. eſt eiuſdem Suarez in Lucam.

XCIII. eſt Martini Delrij in lectionibus de Paſſione Domini.

XCIV. eſt Iacobi Aluarez, meditatione de Paſſione Domini.

Iacob. Aluar. to. 3. li. 3. cop. medit. de paſſ. Dom.

XCV. eſt Auctoris Diarij, à Manno, & Bleſſio laudati, qui aſſerit, in titulo inuento ſub Innocentio VIII. hæc verba legi, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

XCVI.

XCVI. eſt Chriſtophori Fonſecæ in Vita Chriſti Hiſpanicè conſcripta.

XCVII. eſt Thomæ de Ieſu, de ærumnis Ieſu ſcribentis.

XCVIII. eſt Iacobi Gualterij in Chronico ſtatus Eccleſiaſtici.

XCIX. eſt Ludouici Balleſter in Onomatographia.

C. Denique erit Breuiarij Romani, ex decreto ſacroſancti Concilij Tridentini reſtituti, in antiphona ad Canticum precum matutinarum feriæ 6. Paraſceues, *Poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Iam verò cum tot antiquorum, & recentiorum auctoritate ſtet noſtræ ſententiæ veritas; cumque plura in dies ad eam magis, ac magis firmandam, alia loca inueniri poſſint; cenſeat eruditus Lector, num rectè appelletur traditio Eccleſiaſtica. Arbitror, quòd ſi aduerſarij hæc omnia Patrum, & grauiſſimorum Auctorum loca legiſſent, certè vel à pugna

H ceſ-

ceſſaſſent, vel manus pugnando Excellentiſſimo Duci Alcalenſium dediſſent. Id autem magis elucebit, ſi ad Euangeliſtarum verba inter ſe concilianda;& ad Aduerſariorum argumenta enodanda deueniamus.

## Variantia Euangeliſtarum loca de inſcriptione Tituli, inter ſe conciliata. Caput XXI.

SAtis verioris ſententiæ fundamentis, reliquum eſt, vt nonnulla, quæ illi aduerſantur, euertamus. Matth. 27. Matthæus ait: *Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam, Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum*: non autem *Hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, vt habent, contra omnium fidem, quidam codices corrupti. Lucas autem: *Hic eſt Rex Iu-*

dæo-

*dæorum.* Matthæi, Lucæ, & Marci Syrus הנאו *Hanaù* pro *Hic eſt* tranſtulit, non הונא *Hona*, ſicut falsò opinatus eſt Rioias: vox enim Syriaca הונא *Hona* reperitur ſolùm in textu Ioannis. Ex his potiſſimum Matthæi, & Lucæ verbis Maldonatus, & Rioias opinati ſunt, integram ſcripturam tituli fuiſſe, *His eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Luc. 23. Marc. 14.

Fr. Rioias in ep. ad Fr. Pace. Ioan 19. Mald. in Matth.

Huic autem argumento permulti graues, doctique Scriptores occurrunt. Cornelius Ianſenius, qui, poſtquam docuit inſcriptionis tituli verba fuiſſe tantummodo *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum,* ſubdit: *Proinde dicendum eſt alios Euangeliſtas non verba deſcripta annumerare, ſed tantùm ſenſum exprimere voluiſſe, atque illud, in quo cardo inſcriptionis cauſæ conſiſtit, appellationem ſcilicet Regis Iudæorum.* Alphonſus Salmero, cum ait: *Reliqui verò Euangeliſtæ non tam verba, quàm ſenſum expreſſerunt.* Ribera in Ioannem. *Cæteri Euangeliſtæ non verba omnia, ſed eorum ſententiam retulerunt.* Auguſtinus Mã-

Cornel. Ianſen. c 171. concord. Euang.

Alphonſ. Salmero, tract. 37.

H 2 nus

nus: *Reliqui Euangeliſtæ partem tituli, & ſenſum commemoraſſe ſatis habuerunt: & illa vocabula Hic eſt, quæ Matthæus, & Lucas poſuerunt, virtute ſaltem in titulo continentur.* Hæc eadem verba Manni exſcripſit Gretſerus.

Auguſtinus Manii. cap. 188. ſelect. hiſtor.

Gretſer. li. 2. de Cruc. cap. 27.

Præterea facilè quis arbitrari poſſet Matthæum, cum Euangelium Hebraicè conſcripſerit, pro *Hic eſt*, poſuiſſe voculā זה *ze Iſte*, vt Iudæos ipſorūmet gladio iugularet. Nam τὸ זה *ze Iſte* Deum fixum Cruci præſignabat in veteri teſtamento, vt antiquiores Hebræorum Rabbini obſeruarunt, teſte Galatino, cuius verba, cū mirificè huc faciant, tranſcribere non grauabor. *In Bereſſith etiā Rabba* קטנא *Ketanna, ideſt in expoſitione minori libri Geneſis hoc certè mirabile, quod dicturus ſum. Scribitur ſuper illud 22. cap. eiuſdem libri, dictum: Et accepit Abraham ligna holocauſti, & poſuit ea ſuper Iſac filium ſuum: Sic enim ibi dicitur Sicut* זה *ze, ideſt iſte, hoc eſt, Deus, qui baiulat crucē ſuam ſuper ſcapulam ſuam: Simile quoque huic habetur*

Matth. 27.

Galat. lib. 8 cap. 27.



Digitized by Google

*in libro* ברכות *Berachoth, ideſt benedictionu, Hieroſolymitano, in cap. quod incipit* מאימתי קורין *Meematbai Korin, ideſt quando legunt. Ibi enim ſic dicitur: Et fuit cum compleuit Selomo orando ad Dominum, uniuerſam orationem, & deprecationem hanc, ſurrexit de conſpectu altaris Domini, procumbens ſuper genua ſua, & manus eius erant expanſa ad Cælos. Dixit Rab.* אבהו *Abbu; Et manus eius erant expanſæ ad Cælos. Nam ſicut* זה *Ze, ideſt iſte Crucifixus, vel in Cruce extenſus erat ſtans. Hæc ibi, &* זה*, Ze, quod Latinè interpretatur iſte, hoc in loco non eſt niſi Deus: quod per id, quod in libro* מנחות *Menahoth, ideſt oblationem, in cap. quod incipit* המנחות *Hammenahoth, ideſt oblationes, ſcribitur, maximè probatur, ubi ſic dicitur: Deus ſanctus, & benedictus vocatur* זה *Ze, ideſt iſte, ſicut ſcriptum eſt Exod. 15. cap. ze, ideſt iſte Deus meus, & glorificabo eum. Hæc traditiio. Secundùm ergo duas illas traditiones, Deus ſibi Crucem humeris baiulaturus erat, & Cruci manibus extenſis aſfigendus. Cũ autem Deus ex ſua natura hæc*

*pati non poſſit, de Meſſia neceſſariè intelligenda ſunt, qui Deus, & homo futurus erat, & morte Crucis moriturus.* Hæc Galatinus: quocirca hic erit ſenſus verborum Matthæi *Ieſus Rex Iudæorum eſt* הי *iſte, ideſt Deus fixus.*

Ego verò potiùs dixerim Pilatum, aut eius milites ſcripſiſſe nomen Ieſu cum ה *He* notificatiuo הישוע *Haieſciuangh*: & huius articuli vim expreſſiſſe *I*nterpretē Græcū Matthęi per ὗτος ἐστὶν, vulgatum autem noſtrum per τὸ *Hic eſt*. Notificatiuum nominibus Hebraicis præponitur, vt certam ſignet perſonam: vnde ſæpè non articuli tantùm, ſed pronominis officio fungitur; quemadmodum quidem articulus Græcus, ὁ huic Hebraico ה *He* reſpondens, loco pronominis vſurpatur. Adi Lexicogræca, quę fusè de hac re differunt. Diuino autem conſilio factitatum eſt, vt Pilatus, vel eius milites articulum notificatiuum ה *He* nomini *Ieſu* præponerēt; ſic enim inter tot homines, qui idem nomen *Ieſu* habuerunt, & Sal-

uatores Populi Iſraelitici dicti ſunt, certa deſignabatur in titulo perſona illius Ieſu, qui erat Deus, ſaluum præſtans à peccatis populum Iudaicum. Neque huic meę coniecturæ obſiſtit id, quod docuit Pagninus, articulum notificatiuum ה *He* nō venire iuxta nomen proprium, quia proprium nomen non indiget notificatione: id enim minimè veritati conſentaneum eſſe exiſtimo. Nam Geneſ. *1*. dicitur והאדם *Vehadam*, *Et Adam cognouit Euam vxorē ſuam*. Et Paralip. c. *4*. *Et vxor eius* היהודיה *Haieudia*, *Ipſa Ieudia*. In vtroque ſacræ Scripturæ loco eſt nomen proprium, & viri Adam, & mulieris Ieudia cum ה *He* notificatiuo ſcriptum. Si autem contendas cum Pagnino, & Mercero hæc duo nomina propria Adam, & *I*eudia in his ſacræ Scripturæ locis non vt propria, ſed vt appellatiua adhiberi, nulla eſt cauſa cur negari poſſit, Pilatum etiam nomen proprium Ieſu tanquam appellatiuum vſurpaſſe, ac proinde articulum notificatiuum ה *He* illi apposuiſſe.

Pagn. inſt. Hebr lib. 1. cap. 16.

Paralip. 1. cap. 4.

Matth. 27.

Illud inſuper aduerte, in ſcriptura tituli, quam profert Matthæus, deeſſe vocem *Nazarenus*. Anne vim nominis הנצרי *Hanotſri*, ideſt *Nazarenus*, per *Hic eſt* expreſsit Euangeliſta? Equidem verbum נצרי *Notſri* deſcēdit à themate נצר *Netſer*, quod florere, ac germinare ſignificat, & metaphoricè pro verbo ſubſtantiuo Sum, es, eſt, libenter vſurpare poterat Matthæus. Germinare, & florere in herbis, & plantis eſt idem, ac eſſe. Exin verbum נצר *Nezer* in *Paul* conſeruatum eſſe deſignat: & conſeruari, vt aiunt Philoſophi, nil aliud eſt, niſi continuatum eſſe. Huc reſpexerunt Septuaginta Interpretes, cum Iſaiæ 48. *Audita tibi feci noua ex tunc* ונצרות *Vnetſurot*. Et Vulgatus vertit *Conſeruata ſunt*, tranſtulerunt μέλλει γυνέσθαι *futura ſunt*. Similiter apud Arabes eadem radix חצר *Chatſar*, tum gramen, tum eſſe ſignificat. Vnde Matthæus congruit cum Ioanne, aſſerente, ſcripturam tituli fuiſſe *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Etenim Matthęus per

*Hic*

*Hic eſt*, facilè expreſsit τὸ *Nazarenus*.

Cæterum argumento ex textu Syriaco Euangeliorum à Franciſco Riojas deſumpto, Lucę Brugenſis verba, verſionis Syriacæ defenſoris acerrimi, ſatisfactura, opinor, cum ait: *Quorum verborum alij Euangeliſtæ ſenſum explicant, additis voculis Hic eſt: non enim veriſimile eſt has fuiſſe adſcriptas, præſertim Latinè, & Græcè; ſolet enim in titulis ſubaudiri.* Vide, vt Aduerſariorum argumenta, tot reſponſionibus infirmata, maximè noſtram confirment ſententiam, & minimè dubiam, incertāque relinquant.

Franc. Rioj. in epiſt. ad Franc. Pacec.

Luc. Brug. in Ioann.

No:

## Nomen Ieſus in titulo ſcri-ptum, expenditur. Caput XXII.

TRibus literis ſcribi debere nomen Ieſu contendunt Iudæi, ſcilicet ישו *Ieſciu*, teſte Elia. Idipſum docuit Rabbi Haccados apud Galatinum, & Georgius Venetus in harmonia. His adſtipulatur locus inſignis Irenæi, *Ieſus autem nomen, ſecundùm propriam Hebræorum linguam, literarum eſt duarum, & dimidiæ* (intellige literam Iod, quæ eſt minima inter literas Hebraicas) *ſicut periti eorum dicunt*. Ex his extremis *I*renæi verbis colligo, Irenæum iuxta Hebræorum ſententiam id protuliſſe: quæ Hebræorum opinio quàm falſa ſit, infra oſtendam. Nomen enim Ieſu aſſumit literam gutturalem ע *Ngain*, quam detrahunt Hebræi; vel quòd negāt Chri-

Helias Theſbites in lex Hebr. Galat. lib 3 c, 20. Geor. Vener. in harm. ton. 6. can. 2 c. 7 Iren. lib. 2. aduerſ hæreſ. c. 41.

ſtum

ſtum eſſe Saluatorem; vel quod ob difficultatem pronunciandi litteram gutturalem ע *Ngain*, illam abſorbent.

Secus damnatæ memoriæ hæreticus Oſiander putat, nomen Ieſus continere omnes literas nominis ineffabilis יהוה *Iehoua*, vt ſit Hebraicè ſcriptum יהושוה *Iehoſciua*. Vtraque ſententia, cum Hebræorum, tum Oſiandri, mentita, & erroris plena. Nomen enim Ieſus adſciſcit neceſſario literam ע *Ngbain*, eſtque radicis ישע *Iaſciangb*, quæ ſaluare ſignificat, teſte Gabriele Archangelo, *Ioſepho* in ſomnis rationem ſuggerente, cur Mariæ filius appellandus foret *Ieſus*, in hæc verba: *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populũ ſuum à peccatis eorum.* Huc facit locus Euthimij, exponentis illud Pſalmi, *Tu es Deus Saluator meus; Tu enim es*, inquit, *Saluator meus, quemadmodum vel tuo edoctus ſum nomine, Ieſus quippe diceris, quod nomen Saluator interpretatur*. Et Iuſtinus Martyr: *Ieſus verò, & hominis, & ſerua-* Matth. 1. Euth. in pſ. 24. S. Iuſtin. in Apol.

*toris nomen, ac deſignationem habet.* Imò etiam Arabes ipſi efferunt nomen Ieſu per ישע *Iasangh:*

Bellarm. in exerc. Grā. & ebr. ſuper pſ. 54.

Erafm. in Ioan.

Sixt. Senen. in biblioth. Mallon. in elucid. de Cruc. & titul.

Pagnin. in theſaur. ling. Hebr.

Porrò nonnulli ex catholicis cum doctiſſimo Cardinali Bellarmino edocent, nomen Ieſus eſſe pentagrammaton, ideſt quinque litterarum יהושע *Ieboſciuangh*, non autem tetagrammàton ישוע *Ieſciuangh*. Cum his catholicis conſpirat hæreticus Eraſmus, qui vult in titulo Crucis fuiſſe ſcriptum יהושע *Iebosciuangh*; quod etiam placuit Sixto Senenſi, & Mallonio. Exiſtimāt iſti Auctores ישוע *Iesciuangh*, non Saluatorem, ſed ſalutem deſignare: יהושע *Ieboſciuangh* verò Saluatorem ſignificare. Sed eos falſitatis arguit auctoritas Pagnini, literarum Hebraicarum peritiſſimi, docentis vocem ישע *Iaſciangh* tantùm denotare Salutem, non autem ישוע *Iesciuangh*, niſi poſt ע *Ngbain* addatur ת *Thau*.

Reſtat igitur, vt nomen *Ieſus* fuerit tetagrammaton, ſiue quatuor literarum ישוע *Ieſciuangh*, ſicque in titulo exaratum,

quod

Digitized by Google

quod adſtruit teſtis oculatus Hector Pintus. *Et hoc idem nomen* ישוע *Iesciuangh, pro quo Interpres Græcus poſuit hoc nomen* ἰησοῦς. *Latinus verò Iesus, & hoc idem nomen eſt in titulo Crucis ſcriptum, qui Hieroſolyma Romam adductus, fuit poſitus in Templo Sanctæ Crucis in Hierusalem, vbi hodie cuſtoditur, & oſtenditur: & ibi ego eũ vidi, & manibus tenui.* Et Sanctes Pagninus, qui loquens de voce ישוע *Ieſciuãgh, ſic eſt,* ait, *in titulo ſalutiferæ Crucis, qui eſt Romæ in Templo Sanctæ Crucis, quem pluries & vidi, & legi.* Præter quam quod id apertè conuincit textus Syriacus noui teſtamenti, apud quem nunquam non reperies nomen *Ieſu* quatuor conſcriptũ literis ישוע *Iesciuangh*. His velim addas auctoritatem Excellentiſſimi Ducis Alcalenſium, ſcribentis, quod in titulo fuit nomen tetagrammaton ישוע *Iesciuangh*. Quanquam nobiſcum conſenſit Ribera, opinatur tamen nomen ישוע *Iesciuangh* perperam fuiſſe in titulo deſcriptum à Gentilibus, non ſatis nominum Hebræo-

Hect. Pint. in c. 22. Iſa.

Pagnin. in theſaur. ling. Hebr.

Excell. Duc. Alcal. ep. de tit. Crucis.

Alber. in Ioann.

Digitized by Google

breçorum differentiam callentibus, vel vt ipſemet Ribera ſubdidit: *Poteſt dici, ſi fortè aliqui Iudęi affuerunt, illos abſtuliſſe ex nomine vero duas literas ה He, ו Vau, nè nomen haberet commune cum Ioſue, & cum Ieſu Sacerdote; vt cum apud nos in Eccleſiaſticis Officijs dicitur Domne pro Domine: contemptus enim cauſa ſolet hoc fieri apud Hebræos, vt notat Hieronymus in traditionibus hebraicis in Geneſim, & in traditionibus in 2. lib. Reg. Sicut Geneſ. 23. Ephraim, poſtquam vendidit ſepulchrum, vocatur Ephran, dempta litera ו Vau. Et Ierem. 22. Ieconias Rex vocatur Conias, dempta litera י Iod in illis verbis, Viuo ego, &c. ſi fuerit Ieconias. Et in illis, Nunquid fictile, aut contritum vidiſti Ieconias, &c. quod potiſſimum fieri videtur in literis nominis יהוה Iehoua, quæ in maximo honore habebantur.* Verùm haud ſcio an non oleum, & operam perdiderit Ribera, oſtendens Nomen Ieſus hexagrammaton, hoc eſt ſex fuiſſe literarum יהושוע *Ieoſciuangh*. Nam idem no-

men

men habuiſſe Saluatorem noſtrum, ac Ioſuè tradunt Chryſoſtomus, Euthymius, & Theophilactus: Ioſuè autẽ hebraicè dicitur יהושוע *Ieoſciuangh*, atque adeo nomen tetagrammaton ישוע *Ieoſciuangh*, potuit eſſe contractum ex huiuſmodi nomine hexagrammato יהושוע *Ieoſciuangh*, Sic sũmus Sacerdos filius Ioſedec prius nomine pentagrammato יהשוע *Ieoſciuangh*. poſtea contractius à reducibus è Babylone nomine tetagrammato ישוע *Ieoſciuangh*. eſt appellatus vt teſtificatur Pagninus. De Sanctiſſimo hoc, et auguſtiſſimo nomine plura, & pulcherrima adſcriberem, niſi animus ad alia omni feſtinatione properaret.

Chryſoſt. Euthym. & Theop. in princ. Mat.

Pagnin. in theſaur. ling. Hebr.

Vox

## Vox Nazarenus per ז Zain an, per צ Tſade in titulo ſcripta fuerit.

## Caput. XXIII.

Pagn. in ti. interpr. nom. Hebr.

Magna de hac re contentio eſt inter doctos viros. Leo Caſtrius maximam litem infert Pagnino, contendens vocem Nazarenus non per צ Tſade, ſed per ז Zain ſcribi. Multa congeſſit Caſtrius, quæ longum eſſet recenſere: illa tantum exſcribam, quæ ad rem, de qua agimus, faciunt. Hæc ſunt Caſtrij verba in Apologetico: *Vidiſſe ſe ait Pagninus, in titulo Sanctæ Crucis Romæ ſcriptum per Sadich hoc nomen, vndè apparet. Naſarenum dicendum Dominum, non Nazarenum; facit ita eſſe, vt ſcribit Pagninus. Maiorne fides erit militi impio, qui Cruci affixit Dominum, & titulum ſcripſit Crucis, quàm Apoſtolis, & Euangeliſtis*

Leo Caſtr. in Apol.

*ſcrip-*

*Scriptus eſt titulus Crucis literis Græcis, Hebraicis, & Latinis. Sed faciliùs crederem Pagninum falli, & fallere nos voluiſſe: nam titulus Crucis Romæ repertus, paſſim circumfertur typis cuſus, nec vt Pagninus aſſerit. Cur Pagninus non fecit teſtes homines doctos, ſcriptum eſſe Græcè, & Latinè in titulo Crucis Naſarenum, & non Nazaræum? At mendacij argueret Euangeliſtam Ioannem, qui titulum Crucis Græcè ſcriptum prodit* Ναζωραῖος. At vero hoc argumẽtum, quod eſt, vt aiunt, Leonis Caſtrij aduerſus Pagninum Achilles, haud ſcio an euincat τὸ Nazarenus per ז *Zain* fuiſſe in titulo ſcriptum, vt infra patebit. De illo vno mihi in præſentia exploratum eſt, quòd per צ *Tſade*, non per ז *Zain* vox Nazarenus fuerit in titulo exarata. Firmat id, quod dixi, textus Syriacus, qui hoc nomen nunquam non profert per צ *Tſade*. Idipſum præterea affirmant doctiſſimi viri, Excellentiſſimus Dux Alcalenſium, Chriſtianus Adrichomius, Viegas, Ludouicus Balleſter, Sixtus Senenſis, &

Excell. Dux Alcal. ep. de tit. Cruc. Chriſt. Adric. n. 39. deſcript. Ier. fol. Ludou. Balleſt. in onomatogr. Viegas in c. 12. Apocal. Sixt. Seneſ. in biblioth.

Ludouic. Ten. Ludouicus Tena. Errat profectò Mallonius ſcribens per צ *Tſade* τὸ Nazarenus, ſed cum litera א *Aleph* in medio. Nunquā enim apud Hebræos literam Aleph, neque vt radicalem, neque vt ſeruilem recipit vox Nazarenus. Apud Syros tantū accerſit literam א *Aleph*, ſed in fine. Deinde τὸ Nazarenus per צ *Tſade* fuit in titulo ſcriptum, vt nomen patriæ Chriſti indicaret, quæ erat Nazaret Galilææ. Inquit Nonnus.

Dan. Mallon. in Elucid. de Cruce, & titul.

Nonn. in Ioan.

οὗτος Ἰουδαίων Βασιλεὺς Γαλιλαῖος Ἰησοῦς

*Hic Iudæorum Rex Galilæus Ieſus.*

Euſeb. Cæſar. lib. 7. de monſtr. Euang. c. 2.

At diſtinctiùs Euſebius Cæſarienſis docuit, Chriſtum Nazarenum appellari à Nazareth: *Sed Saluator, & Dominus noſter ſuapte natura in ſe habens, & ſanctum, & intactum, & ſeparatum, neque alicuius indigens humanæ vnctionis, tamen Nazirei appellationem apud homines obtinuit, non quòd ab olea, quod Nazer vocaretur, Nazirenus extiterit: ſed quòd quamuis natura quidem talis eſſet, tamen è Ciuitate Naza-*

reth

reth apud homines Nazireus vocatus ſit, vbi apud ſuos, qua homo erat, parentes, puerilem educationem obtinuit; ex quo apud Matthæum dictum eſt, *Reſponſo autem in ſomnis accepto*, ipſe videlicet Ioſeph, *ſeceſſit in partes Galilææ, & veniens, habitauit in Ciuitate, quæ dicitur Nazara, vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam, quod Nazaræus vocabitur.* Hæc Euſebius: quæ verba recitauimus, vt vnuſquiſque conſpiciat τὸ Nazarenus per צ *Tſade* fuiſſe in titulo deſcriptum: Nazareth enim Ciuitas Galilææ, non per ז *Zain*, ſed per צ *Tſade* ſcribitur; vt docent ferè omnes ſacræ Scripturæ Interpretes, cum primis Hieronymus ad Paulam, & Euſtochium ſcribens: *Ibimus Nazaret, & iuxta interpretationem nominis eius, florem videbimus Galilææ.* Quin etiam adnotat Auctor Lexici etymologici, vrbem hanc Nazaret appellari, quia ſita in loco floribus, & arboribus conſito: Nazaret enim per צ *Tſade* prolatum florem ſignificat. Matt. 2. Hieronym. ep. 17.

Verùm quid Nonnum, Euſebium, & 



Digitized by Google

alios memorem, cum Euangeliſta Matthæus Chriſtum Dominum à Ciuitate Nazareth Nazarenum appellatum fore expreſsè ſignificet his verbis: *Et veniens habitauit in Ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam, Quoniam Nazareus vocabitur.*
Matth. 2.
Quæ verbà præclarè examinat Hieronymus: *Poſſumus, & aliter dicere, quod etiam eiſdem iuxta Hebraicam veritatem in Eſaia ſcriptum, Exiet vir de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius aſcendet:* In textu Hebræo Iſaiæ Nazareus eſt נצר *Netſer:* quam vocem Vulgatus tranſtulit flos: Porrò Chriſto fixo Cruci, idcirco inſcriptum τὸ Nazarenus per צ *Tſade*, vt ipſi accidiſſe appareat prodigium illud, de quo quærit Poëta,

Iſa. 11.

Virg. eglo. 3.

*Dic quibus in terris inſcripti nomine Regum,*
*Naſcantur flores?*

In Cruce enim nomen Regis noſtri, nomine Nazareni, ideſt floris, & floridi ſcriptum apparuit. Huc etiam facit illud Martialis.

Martial. li. 5. epigr. 6.

No-

*Nomen cum violis, roſisque natum,*
*Nomen nectare dulcius beato.*

Roborat hanc ſententiam miraculum illud ſpinæ ex corona Chriſti decerptæ, & in inſula Rhodi quotannis viſebatur, de quo Io.Franc.Pic.Mirandul. *Audiui quoque ab iis, qui viderunt, ſpinam eſſe Rhodi, qua Sacratiſſimum Chriſti caput pupugerunt impij, dum coronam ſpineam vertici impoſuerunt, quæ ſingulo anno in die eo, quo Chriſti paſſionis memoria in Catholica noſtra Eccleſia celebratur, vidente Populo floreat. Monſtratur ea in vaſe tranſlucido ex vitro, vt admittatur aſpectus, ne oculorum acies poſſit obtundi ante horam illam, qua Chriſtus crucifixus creditur: nullam ſpina ipſa motionem præfert, non coloris mutatio, non vlla adiectio in ea viſitur: proximante tempore rubere incipit, & oculis omnium circumfuſis, atq; cernentibus, albus quidam floſculus in verticem paulatim exurgit, qui hora elapſa, deſinit, & euaneſcit.* Quod miraculum verè indicabat, Chriſto Cruci affixo inſcriptum

Io. Franc. Pic. Mirād. theor. de fide.

fuiſſe in titulo nomen Nazarenus per צ *Tsade*, florem, ſiue floridum denotans. Tunc certè Chriſtus Dominus in Cruce, diademate ſpineo coronatus extitit ſicut lilium inter ſpinas; imò & inſtar floris campi, & lilij conuallium. Nam, vt ſcribit Ambroſius, *Virga Maria, flos Mariæ Chriſtus, ſicut ipſe dixit Ego flos campi, & lilium conuallium: flos odorem ſuum ſuccisus reſeruat, & contritus accumulat, nec auulsus amittit: ita & Dominus Ieſus in illo patibulo Crucis, nec auulſus euanuit, nec contritus emarcuit, ſed illa lanceæ punctione ſucciſus, ſpecioſior fuſi cruoris colore vernauit, mori ipſe neſcius, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans.* Aduerte inſuper pulcherrimum myſterium ſub eadem die 25. Martij, qua Angelus Mariam ſalutaturus, inijt oppidum Nazaret, iam trigeſimo quarto ineunte anno Cruci affigitur Chriſtus, atque in titulo Crucis Nazarenus, ideſt Floridus ſcribitur. Præclarè id docuit vir eruditus Petrus ad Boues in hæc verba: *In die Veneris ſancta*

S. Ambroſ. lib. 2. de Spir. S. c. 5.

Petr. ad Boues ſer. 24. in die Vener. ſan.

*Eta*

*Eta ideo voluit Spiritus Sanctus, quod in titulo victoriali Ieſu mortui ſcriberetur hoc vocabulum Nazarenus floridus, vt ſicut ad literam tali die, quali paſſus eſt, ſcilicet 25. die Martij Angelus à Deo miſſus eſt in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, Lucæ 1. ſic ipſa eadem die, annis reuolutis, appareret in morte Nazarenus floridus.* Nihil denique inſcriptioni nominis Ieſu tam congruit, quam cognomen Nazarenus, quod non modo *floridus*, ſed ſeruator ſignificat: ſic quippe Deus appellatur à Iobo נצר האדם *Notſer Haadam*, Iob. 7. ideſt *Seruator hominis*.

Verùm argumento Leonis Caſtrij, ex textu Græco Euangelij Ioannis deprompto, vbi ſcribitur Nazarenus per literam ξ, quæ reſpondet literæ ז *Zain* Hebræorum, & noſtræ Z nullo negotio occurres, ſi attendas, interdum Græcos per literam ξ, & Latinos per literam Z. non ז *Zain*, ſed צ *Tſade* exprimere voluiſſe, vt 1. Reg. 14. Septuaginta Βοξης. pro Hebraico בוצץ *Botses*. Et zur pro צור

 *Tſur*

*Tsur*, ideſt Tyrus apud Maſium comment. in Ioſue. Sic etiam in Cenſorino Nabonazarus, qui in Hebræo Nabonetſar. Vnde & Arabes *Nitsrani*, hoc eſt Nazarenos Chriſtianos appellant; quæ dictio apud eos per *Sad* ſcribitur, & literæ צ *Tſade* Hebræorum vim obtinet. Latini verò; & Græci, cum literam non habeant, qua ſonum צ *Tſade* Hebraicum repræſentent, hi per ζ; illi per *z*; quæ videtur eidem in ſono aſsimilari, nomen Nazarenus protulerunt.

## Quid denotet Rex Iudæorum in Titulo. Caput XXIV.

REgem non tyrannicè, ſed conſilio, legibuſque imperantem, & legitimè ad Regnum vocatum ſignificat vox מלך *Melek* *Rex*, in titulo ſcripta; ſicut nomen Regis eſt iuſtitiæ, vt aiebat Plato. Vnde ex hac radice nominis מלך *Meleck* deriuatur מלכה

*Mam-*

*Mamlacha*, quod tum Regnum, tum legem ſonat. Id videre eſt apud Iſaiam cap. 19. vbi textus Hebræus ממלכה בממלכה *Mamlacha Bemamlacha*, & Vulgatus tranſtulit, *Regnum aduerſus Regnum*. Septuaginta verterunt *νόμος ἐπὶ νόμον*, *lex in legem*. Et quidem merito inſcribitur titulus Regis Iudæorum Chriſto fixo Cruci, cum non modo vt Deus, ſed vt homo, iure originis in Iudæorum regnum vocaretur; quod ſanè ſolidè, & erudite probat Armacanus in quæſtionibus Armenorum, vbi planiſſimè oſtendit cauſam, cur iure hæreditario ad Chriſtum Iſraeliticum Regnum pertineret. Iam verò etiam Pilatum id cognouiſſe, ac proinde in titulo Rex Iudæorum inſcribi curaſſe, exiſtimat Albertus Magnus. *Et quia Pilatus audiuerat, quod de ſemine Dauid quidam regnare debuerat, & ſciuit iſtum eſſe de ſemine Dauid, ideò à corde eius auelli non poterat, quod iſte verus Rex eſſet: & ideò ad confuſionem Iudæorum talem poſuit ſuper Crucem titulum.*

Armacan. lib. 4. c. 15. & 16. in quæſt. Armen.

Porrò

Porrò τὸ *Iudæorũ*, Hebraicè יהודים *Iehudim*, non ſolùm gentem Iudaicam, ſed quoſcunque laudantes, & confitentes denotat: etenim verbum ירה *Iada* ſæpè idem eſt, ac laudauit, confeſſus eſt, laudes cecinit. Hinc, teſte Mercero, laus dicitur Oda apud Græcos. Quocirca cũ Chriſtus in titulo Rex Iudæorum inſcribatur, Rex quoque, & Imperator omnium gentium, quæ in illum crediture, quæque eius laudes celebraturæ erant, declaratur. Audi Hieronymum: *Velitis nolitis, Iudæi, omnium vobis gentium turba reſpondet, Ieſus Rex Iudæorum eſt, hoc eſt Imperator credentium, & confitentium.* Quin etiam ex his interrogationi illi cur Chriſtus ſcriptus ſolummodo Rex Iudæorum in titulo, cum ſit & Rex gentiũ, ſatisfactum eſse arbitror: Niſi dicere maluelimus cum Claudio Guilliaudio: *Sicut Alexander Macedo Rex Macedonum dictus eſt etiam cum fere toti Orbi imperaret, eo quòd Regni eius prima ſedes, & initium in Macedonia eſſet, ſic Chriſtus Rex Iudæo-*

Hieron. in Matth.

Claud. Guilliaud. in Matth.

dæo-

*deorum dictus eſt, licèt totius Orbis poteſtatem, etiam Cælorum habeat, propterea quod Iudæis ſpecialiter promiſſus fuerat. Ex his etiam natus, & in Sion Regni ſui primordia habebat, &c.* Præterea nedum Chriſtus, ſed omnes etiam homines, eum Regem agnoſcentes, eiuſq; laudes celebrantes, renunciantur Reges in titulo. Iudæos .n. Manethon apud Ioſephum ſcribit vocatos ὑκσῶς vel ὑκουσσῶς, vt legit Euſebius: quod arcana Aegyptiorum lingua teſte Ioſepho, Reges Paſtores ſignificat, Apud veteres Latinos contra Rex appellatur, qui aliquem alit. Plautus: *Nam ni impetro, Regem perdidi ex amore tantum eſt hominis ingenium.* Et Horatius. *Equus me portet, alat Rex.* Quamobrem Rex Iudæorum in titulo idem ſonat, atque Rex Regum. Indicat Ludolphus, cum ſcribit: *Mors enim Chriſti cauſa erat remiſſionis culpæ; quia Ieſus tollationis gratiæ; quia Nazarenus, adeptionis gloriæ quia Rex Iudæorum, in quo omnes erimus Reges.* Huc trahe inſcriptiones illas. Rex regnantium.

Euſeb. 10. præpar. Euang.

Plaut. in Aſinaria.

Horat. ep. 17.

B A-

*BASILEVS BASILEON* apud Antonium Auguſtinum. Profectò ſicut מלך *Melec* cognationem habet cum פלך *pelec*, quòd ſignificat Scipionem, baculum; ſic nomẽ Rex cum רעה *Rangba*, Pauit: qua voce complectitur Scriptura ſacra omnia boni paſtoris officia; & mutato *Ngbain* in G. Latini dicunt Rego. Ex quo nomen Rex in titulo ſcriptum, apertè declarat, Chriſtum paſtorem baculo ſuæ Crucis nos tanquam oues in Monte Caluariæ rexiſſe. Innuit locus Pſal. *Conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion, &c.* τό Sion, vt hebraizantes aduertunt; locum ouium denotat: & Auguſtinus præclarè ad hanc rem ſcripſit: *An Iudæorum tantum Rex eſt Chriſtus: an & gentium? Cum enim dixiſſet in prophetia: Ego autem conſtitutus ſum Rex ſuper Sion Montem ſanctum eius: vnde & ipſe iam per os proprium loquens apud Iudæos, Habeo, inquit alias oues, &c.* At verò Chriſtum pro ſuis ouibus velut ouem fuiſſe oblatum in victimam, indicat nomen ipſum Ieſus in titulo ſcriptum, nam

Pſal. 2.

Aug. tract. 2. in Ioa.

nam ex nomine Ieſus huiuſmodi formauit anagrammatiſmum Auratus Poeta, ἐν ὑοι'ς *Tu ipſa ouis*. His omnibus conſideratis exiſtimo etiam τὸ *Melek* reddi poſſe Medicus. Sic Ierem. 8. *vbi eſt* מלכה *Malka Rex*; Septuaginta tranſtulerunt ἰατρὸς *Medicus*; Hoc mirum quantum conſonat nomini Ieſu, quod S. Epiphanius, & Cyrillus Hieroſolymitanus deducunt ἀπὸ τῦ ἰαθυ, ideſt *Mederi*. Mihi iam ſatis ſuperque videor dixiſſe de myſterijs verborum tituli, idcirco ſermonē aliò transferam.

Aurat. Poet. Gall.

Ierem. 8.

Epiph. hæreſ. 29.

S. Cyrill. Hieroſol. cathet. 10.

## Tres illæ principes linguæ, quibus Titulus conſcriptus eſt, quàm latè olim patuerint. Cap. XXV.

LInguam Hebraicam, Græcam, & Latinam Spiritus ſanctus ad tituli Scripturam, tanquam capitales, quibuſcum cæteræ omnes, veluti

mem-

membra conueniunt, elegit. In primis Aramæis, & Hebræis eadem lingua fuit, etſi vtramque proprij occuparint idiotiſmi. Id conſtat ex hiſtoria Labani, & Iacobi Geneſ. 31. vbi quòd Iacob homo Hebræus idiotiſmo ſuo גלעד *Gal Ngbad*, ideſt *Aceruum teſtimonij* nuncupauit: id Labanus Aramæus יגר שהדותא *Iegar Sabaduta* eadem ſignificatione nominat. Ad Hebraicam verò proximè accedit Africana, de qua D. Auguſtinus Afer ſcribit; *Quid eſt mammona? verbum enim, quod Latinum non eſt; Hebræorum verbum, cognatum linguæ Punicæ: iſtæ enim linguæ ſibi ſignificationis quadam vicinitate ſociantur: quod Punici dicunt Mammona, Latini lucrum vocant.* Ipſe quoque Auguſtinus alibi: *Nam & ipſe Chriſtus à Chriſmate appellatur, ideſt ab vnctione. Hunc Hebræi dicunt Meſſiam, quod verbum Punicæ conſonum eſt, ſicut alia Hebræa permulta, & penè omnia.* D. Hieronymus comment. in Ierem. *Tyrus, & Sidon in Phœnicis litore Principes Ciuitates, quæ & ipſæ Babylonie*

S. Auguſt. ſer. 35. de verb. Dom.

Idem lib. 3 contr. literas Petiliani.

Hieron. comment. in c. 5. Ierem.

ad-

*aduenientе ſuperatæ ſunt, quarum Chartago Colonia; vnde & Pœni ſermone corrupto Phœni appellantur: quorum lingua Hebrææ linguę magna ex parte confinis eſt.* Aethiopes, teſte Genebrardo, in puerilibus ludis Hebraica addiſcebant, quemadmodum nos Græca, & Latina: atque vel vltimi Indi lingua Hebraica vtebantur, & ad hanc vſque diem, Miſſam Hebraicè canentes, vtuntur. Quin etiam Guido Fabritius Boderianus ſcribit ex Hebraica fluxiſſe tres linguas, Babylonicam, ſiue Chaldaicam; Syram, ſiue Hieroſolymitanam, & Arabicam, quam Iudæi vocāt linguam *Iſmael*: quemadmodum ex Romana, quæ & Latina, deriuatæ ſunt Italica, Hiſpanica, Gallica. Quiſquis linguæ Syriacæ, Chaldaicæ, & Arabicæ minimum operæ nauauerit, quantam cum illis cognationem habeat lingua Hebraica, facillimè percipiet. Lingua autem Græca in quinque dialectos tributa, cōmunem, inquam, Atticam, Doricam, Ionicam, Aeolicam, vtebantur Regiones Me-

Genebr. In Chron.

Guid. Fabr. in dict. Syr. Chald.

Meridionalès, ſicut Hebraica Orientales; Occidentales verò Latina. His proinde tribus linguis titulus Crucis fuit exaratus, vt Lucas Brugenſis tradit in hæc verba. *His porrò tribus linguis Græca, Latina, & Hebraica, præcipuis totius Orbis Terrarum (oriens enim Hebraica, meridies Græca, occidens Latina ferè vtebatur) ſcribi iuſſit in fronte Crucis cauſam mortis Ieſu, quia aderant eo tempore Hieroſolymis ex omnibus Orbis partibus omnis linguæ homines.* Simile quid ediſſerit Ioannes Arboreus: *Erat autem ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè, nec quidem id ſine magno myſterio contigit, vt omnes mundi partes, Aſia, Africa, & Europa intelligerent Chriſtum eſſe Saluatorem totius Mundi, & Regem Iudæorum, quamuis terrena mundi dominia paruifecerit.* Idipſum teſtimonio Pauli ad Philipp. comprobatur, vbi de Chriſto crucifixo loquens, ait: *Et omnis lingua cõfiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Quem locum intelligit Cyrillus de titulo Crucis his tribus lin-

Luc. Brug. in Lucam.

Ioa. Arbor. in Luc.

S. Cyrill. li. 12. in Ioan. c. 32.

linguis conſcripto. *Diuinitus ego puto factum eſſe, vt trium linguarum, quæ præcipuæ ſunt, literis ſcriptus titulus fuerit; omnium enim gentium Regnum Chriſto attributum eſſe ſignificauit: ipſi enim, inquit Daniel, honor, & Regnum datum eſt, & omnes tribus, & linguæ ipſi ſeruiunt, & vt Paulus ait, omne genuflectatur, Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Titulus igitur iſte per præcipuas linguas, omnium linguarum Ieſum futurum Principem prædicabat, & impietatis crimine Iudæos arguebat.* Hęc ille. At doctiſſimus Beda rem hanc planiſſimè omnium, atque elegantiſſimè explicauit; cuius explicationem, vt certè illuſtrem, & perpolitam totam ego ante oculos tuos, curioſe Lector, ponam. *Tres*, inquit, *ſunt linguæ ſacræ, Hebræa, Græca, & Latina, quæ toto Orbe maximè excellunt: His enim tribus linguis ſuper Crucem Domini à Pilato fuit cauſa eius ſcripta: unde propter obſcuritatem*

Beda de linguis ſacris.

K ſan-

ſanctarum Scripturarum harum trium lin-
guarum cognitio neceſſaria eſt, vt ad alterã
recurratur, dum, ſi quam dubitationẽ nomi-
nis, vel interpretationis ſermo vnius linguæ
attulerit. Græca autem lingua inter cæteras
gentium clarior habetur, eſt enim & Latinis
& omnibus linguis ſonantior: cuius varietas
in quinque partibus diſcernitur, quarum
prima dicitur Κοινὸς, id eſt mixta, ſiue com-
munis, quia omnes vtuntur. Secunda Atti-
ca, eſt videlicet Athenienſis, qua vſi ſunt
Græci Auctores. Tertia Dorica, qua Ægy-
ptij, & Syri. Quarta Ionica, Quinta Aeoli-
ca, quã ſe Aeoliſti locutos dixerunt: & ſunt
in obſeruatione Græcæ linguæ eiuſmodi certa
diſcrimina, ſermo enim eorum ita eſt diſper-
titus. Latinas autem linguas quatuor eſſe
quidam dixerunt, id eſt Priſcam, Latinam,
Romanam, & Mixtam. Priſca eſt, qua
vetuſtiſſimi Italiæ ſub Iano ſunt vſi incon-
dita, vt ſe habent carmina aliorum. Latina,
quam ſub Latino, & Regibus Thuſciæ cæteri
in Latio ſunt locuti, ex qua duodecim tabulæ
fuerunt ſcriptæ. Romana, quæ poſt Reges
exa-

*exactos à Populo Romano geſta eſt, qua Nævius, Plautus, Ennius, Virgilius Poetæ: & ex Oratoribus Gracchus Cato, & Cicero, vel cæteri effuderunt. Mixta quæ poſt Imperium latius promota ſimul cum moribus, & hominibus in Romanam Ciuitatem irrupit, integritatem verbi per ſolæciſmos, & barbariſmos corrumpens. Omnes autem Orientis gentes in gutture, & lingua verba collidunt, ſicut Hebræi, & Syri. Omnes mediterraneæ gentes in palato ſermones feriunt, ſicut Græci, & Aſiani. Omnes Occidentaliter verba in dentibus frangunt, ſicut Itali, & Hiſpani. Syrus, & Chaldæus vicinus Hebræo eſt, ſermone conſonans in pleriſque, & literarum ſono. Quidam autem arbitrantur linguam ipſam eſſe Chaldæam, quia Abraham de Chaldæis fuit. Quod ſi hoc recipitur, quomodo in Daniele Hebræi pueri linguam, quam non nouerant, doceri iubentur?* Hæc Beda.

Illud etiam moneo, tum linguam Hebraicam, tum etiam Græcam, & Latinã tempore Paſſionis Chriſti floruiſſe Hieroſolymis, atque idcirco hiſce linguis ti-

tulum Crucis fuiſſe deſcriptum, vt Auctor eſt Nicolaus de Gorram. Id confirmat mirificè locus Ruperti Abbatis, de nomine Paraſceue diſputantis. *Paraſceue,* inquit, *præparatio interpretatur: quo nomine Iudæi, qui inter Græcos conuerſabãtur, ſextã Sabbathi, quæ nunc à nobis ſexta feria nuncupatur, appellabant; vel eo videlicet die, quæ in Sabbathum forent neceſſaria, præpararent: iuxta quod de manna quondam erat præceptum, ſexta autem die colligetis duplum, &c. Qui verò inter Romanos vitam ducebant Iudæi, vſitatiùs eam Latinè cœnam puram cognominabant.* Ex his Ruperti verbis aduerto Hebræos idem nomen Hebraicè, Græcè, & Latinè proferre conſueuiſſe, ac proinde has duas linguas Latinam, & Græcam, præter Hebraicam, in eorum vſu fuiſſe.

Rupert. lib. 13. in Ioan.

Verum

# Vtrum more, inſtitutoq; Maiorum pluribus linguis Titulus deſcriptus. Caput XXVI.

IN primis Tituli iterum, tertiò, ac ſæpiùs patria lingua olim inſcribebantur. Huius rei indicium dat nomen Diagoræ in pluribus ſaxis Megarenſibus inciſum, teſte Pindaro, qui Diagoram victorem laudans, cecinit: *Apud Megaram, non aliud nomen lapideus habet calculus*; quaſi dicat, Nullius nomen pluries inciſum, aut ſculptum in lapidibus, & columnis Megarẽſibus, quam Diagoræ. Nonnunquam verò externa etiam lingua tituli conſcripti: ita Dionyſius, loquens de pompa Romuli, cum vicit Camerinos, ait: *Relatum rerum geſtarum elogium Græcis literis ſcriptũ.* Interdum varijs linguis, vt Liuius de Annibale Pind. Ode 7 Olymp. Diony. lib. 2. Liu. lib. 28.

nibale, *Propter Iunonis Laciniæ templum æſtatem Annibal egit, ibiq; aram condidit, dedicauitque, cum ingenti rerum ab ſe geſtarum titulo, Punicis, Græcisque literis inſculpto.* Hac igitur veteri conſuetudine facilè adductus fuit Pilatus, vt titulum varijs linguis inſcribi iuſſerit; & eodem modo, quo milites titulum deſcripſere in monumento Gordiani, Græcis, & Latinis, & Perſicis, & Iudaicis, & Aegyptiacis literis, vt ab omnibus legeretur, teſte Capitolino in vita Gordiani. Quocirca ſcribit Lucas Brugenſis: *Sunt qui putent, eam cõſuetudinem magnificētiæ, & magnanimitatis fuiſſe Romanæ, qui ita declararent ſe Dominos mundi, vt ſi quem morte afficerent, mundum nollent celare cauſam.* Indidem legere eſt apud Nicolaum de Lyra: *Vt omnes, qui de diuerſis partibus Orbis ad Feſtum Paſchale venerant, poſſent illud legere: venerant enim ibi aliqui Gentiles, vt ſupra dictum eſt, & ideò titulus fuit ſcriptus tribus linguis principalibus.* In eãdem prorſus ſententiam ait Abulēſis: *Paſſioni eius*

Capitol. de Gord. vita. Luc. Brugē. in Ioã.

Nicol. de Lyr. in Ioa.

*multæ gentes aſtabant, Iudæi, Græci, & Latini, ac barbari: & propter hoc, vt omnes videntes Chriſtum pendentem, poſſent cognoſcere cauſam mortis eius, ſcripſit Pilatus titulum ſuper caput Chriſti in Cruce Hebraicè, Græcè, & Latinè Ioan. 19. Si tamen non fuiſſent ibi multæ gentes de his linguis, ſuperuacuum putaſſet Pilatus ſcribere in omnibus his linguis.* Ante hos ad hanc rem dixerat Euthymius. *Hoc autem tribus ſcriptum eſt linguis, eo quod tunc multi ad Ciuitatem venerãt Iudæorum, Græci, & Latini.* Euth. in Matth.

## Ordo linguarum in Titulo. Caput XXVII.

INſcriptio Hebraica in titulo fuit ordine prima, ſecunda Græca, tertia Latina, iuxta Ioannis Euangelium. *Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.* Quod etiam cernere eſt in tabella tituli Romæ Ioan. 19. Baron. Annal. tom. 1. anno Chriſti 34.



Digitized by Google

aſſeruata. In eo autem vltima ordine lingua Latina, quia prior amplitudine eſt, vt cenſuit Cardinalis ampliſſimus Cæſar Baronius. Accipe eius verba eruditionis plena. *Scriptus eſt à Pilato titulus eo ordine, quo ponitur à Ioanne, nempè Hebraicè, Græcè, & Latinè, vt apparet in parte tituli, quæ Romæ extat; ita tamen, vt ſecundùm ea, quæ à nobis ſuperius dicta ſunt, & quæ I. C. l. decreta, ff. de re iudic. Sigonius de iur. antiq. Rom. lib. 2. in ipſius ordine nobilior locus: ac proinde prior ille viſus ſit, qui Chriſto vicinior eſſet: ſicque Latina prior, nouiſſima verò Hebraica, vtque Græca inferior, & Barbara à Romanis haberetur poſita eſſet inſcriptio: ſiquidem apud eos in theatro locus infimus Senatorum, ſummus verò plebis, & in triumpho poſtremus Imperatoris; ſed & in Triclinio nouiſſimus Conſulis: ſicque ſedendo, procedendo, & recumbendo locus vltimus primus eſſet.* At verò alibi idem Baronius tradiderat primam ordine fuiſſe Latinam, tum Græcam, poſtremò Hebraicam, his verbis:

Baron. Annal. to. 1. anno Chriſti 34.

Baron. ibid. anno Chriſti 16.

*Vn-*

*Vnde ex his inferri poteſt, in Titulo Crucis Domini, quem ſcripſit Pilatus Hebraicè, Græcè, & Latinè, non eo ordine, quo recenſentur ab Euangeliſtis, inſcriptiones eſſe poſitas: nã diuerſi cum inter ſe reperiantur, non ordinẽ ipſos ſecutos, ſed tantùm quod factum eſſet, inſinuaſſe: ſicque Latinam inſcriptionem primo loco poſitam eſſe: Nam & Nicolaus Papa in Michaelem impium Imperatorem furore quodam percitum, in Latinam linguam inſultantem; ait. Hæc cum Hebræa, & Græca, in titulo Domini à reliquis diſcreta, inſignem principatum tenẽs, omnibus nationibus prædicat Ieſum Nazarenum Regẽ Iudæorum.* Sed hanc opinionem videtur reiecisse Baronius, cum deindè apertè dixerit, Latinam linguam, & ſi poſtremã ordine, fuiſſe tamen dignitate primam. Hanc Baronij coniecturam amplexantur Nonnus, Mallonius, Ioannes de Haie, Gretſerus. At verò ſi meam de hac te liceat proferre ſententiam, nullam Pilatũ linguæ Latinæ dignitati curam adhibuiſſe arbitror, in deſcriptione tituli: ſi enim

lin-

linguæ Latinæ dignitatem curaſſet Pilatus, nunquam ſanè permiſiſſet Latinam linguã in Chriſti titulo duci ad Hebraicæ linguę modum à dextera in ſiniſtram, vt in titulo Crucis factum cernitur. Quamobrem exiſtimo, quòd primùm lingua, & literis Hebraicis ſit titulus ſcriptus, deinde Græcis, poſtremò Latinis: tum quia lingua Hebraica linguarum omnium prima eſt, quod nemo Catholicorum ambigit: tum quia literæ Hebraicæ reliquas omnes inuentione, & vſu præceſſerunt. Hac de re à Ioſepho Scaligero diſſentio, qui in hoc elaborat, vt oſtendat literas Hebraicas, ſiue Syriacas, quibus ſacri libri ſunt conſcripti, nuperas eſſe, ac nouitias, & Phænices, non Hebræos primos literarum inuentores ſtatuit, quas Phænicum literas ſcribit fuiſſe in vſu à temporibus Moyſis vſque ad excidium templi. Itaque Scaliger iſte quaſi omnium eminentiſſimus in ſupremo doctrinæ, literarumque vertice per ſomnium ſedens, omnes ponè ſe habet,

Ioſeph Scalig. Animaduerſ. in Euſeb.

con-

contemnitque, & quaſi è ſummo theatro deſpuit ſemitheologos, atque adeò ſemihomines appellans eos, qui ſecum non audent deierare literas Hebraicas priſcas eſſe, *Miſeram multorum verò Doctorum*, inquit, *& piorum hominum conditionem, qui doctrinæ, & pietatis ſuæ non alios teſtes haberent, quam aſinos.* Ita loquitur Catholicę Religionis deſertor, & pecus maledicentiſſimum Scaliger, qui dum alios aſinos appellitat, opinatus in hac lite ſe Regem euaſiſſe, hoc eſt victorem, iuxtà Græcam paræmiam *Βασιλεὺς ἢ ὄνος, Rex, aut aſinus*, id eſt *Victor, aut victus*, ex Rege, meo iudicio, factus eſt aſinus, & velut aſinus portauit hæc literarum myſteria. Onus verò iſtud non iam diutiùs ſuſtinebit Scaliger, omni enim ex parte alleuabitur à veteribus Scriptoribus, qui apertè tradunt literas Hebraicas omnium eſſe antiquiſſimas. Irenæus Apoſtolicorum penè temporum; *Per omnia autem*, inquit, *Hebræorum literæ non conueniunt numero Græcarum, quæ maximè*

Iren. lib. 2. aduer. hæret. c. 41.

de-

Euſeb. Cæſar. lib. 1. præpar. Euang. c. 1.
Lil. Giral. dialog. de Poetis.
Biliand. lib. de rat. legẽdi. c. de
Genebr. in Chron.
Suid. in voce Adam.

*deberent, antiquiores, & firmiores exiſtentes, ſaluare ſupputationem nominum.* Et Euſebius Cæſarienſis varijs coniecturis permotus, idem aſſerit. Iſidorus, *Literę Latinę, & Gręcę ab Hebręis videntur exortę.* Hanc ſententiam tuentur Lilius Giraldus, Biliander, & alij. Præterea vetus eſt traditio, vt ſcribit è Cedreno, Ioſepho, & Rabbinis Genebrardus, Sethum, & Enos inueniſſe ante diluuium Aſtrologiam, & duabus columnis inſcripſiſſe, characteresque Hebraicos excogitaſſe. Cadmum verò literarum Phænicum inuentorem, quas omnium literarum antiquiſſimas ſtatuit Scaliger, ex ſententia eiuſdem Genebrardi habetur fuiſſe tempore Ioſue, anno à mũdo condito 2727. & à diluuio 1070. Quin etiam non deſunt nobiles, & antiqui Scriptores, qui literarum Principem, & inuentorem Adamum ipſum adſtruant. Suidas in voce Adam. *Adam primus homo Dei manu effictus, &c. huius ſunt artes, & literæ, huius ſcientię rationales, & non adſtrictę legibus*

*uationis: huius prophetię, ſacri ritus, purgationes, leges ſcriptę pariter, & non ſcriptę: huius denique ſunt omnia inuenta, & diſciplinę, & quæcunque ad vitam, atque conuictũ vtilia ſunt, & neceſſaria.* Gotfridus Viterbienſis cecinit.

> *Fertur Adam longas veterum formaſſe columnas,*
> *In quibus, & rerum ſtatuit deſcribere ſummas,*
> *A quibus accipimus, ſi quę vetuſta damus.*

Huc pertinet, quæ ſcribit Angelus Rocca. *In bibliotheca Vaticana è regione primę columnę paraſticę, à tergo introitus bibliothecę, pictus eſt Adam, &c. ſupra huius caput literę Hebraicę antiquę leguntur: ad eiuſdem pedes inſcriptio Latina in hanc legitur verborum formam: Adam diuinitus edoctus, primus ſcientiarum, & literarum inuentor.* Angel. Rocca biblioth. Vatic.

Nec noſtræ ſententiæ verba illa Plinij repugnant, à Scaligero recitata: *Gentium conſenſus tacitus, primus omnium conſpirauit, vt Ionum literis vterentur;* cum idem Plin. lib. 7. c. 57.

Plinius

Idem lib. 7. c. 55.

Plinius alibi pro nobis ſtet, inquiens: *Litteras arbitror ſemper fuiſſe Aſſyrias*, ideſt Hebræas.

Simeon autem de Caſſia exiſtimat, quòd Titulus ſit primùm Hebraicè deſcriptus, poſtmodum alijs linguis, quia Chriſtus parente Hebræa proghatus. Hæc ſunt Simeonis verba: *Vnde & ter Ieſus Nazarenus ſcriptum erat, primò elementis Hebraicis, quia ipſe de genere illo erat, &c.* Quæ Simeonis ſentẽtia etiam mihi probabilis, & valdè veriſimilis videtur.

Sim. de Caſſia lib. 13.

## Num lingua Hebræa, Græca, & Latina in Titulo conſecratæ.

## Caput XXVIII.

Chryſoſt. orat. in Paraſc. dicta.

AVreum illud eloquentiæ flumen Io. Chryſoſtomus, oratione in paraſceue dicta, omnia ſanctificata fuiſſe in Paſſione Dominica luculenter his verbis exponit. *Age, à præ:*

Digitized by Google

*prędator deprędata, & victoria aduerſus eum parta, corona potite. Hominem conſpicatus Deum adoraſti, priſtinis abiectis, & aſſumptis armis fidei* (alloquitur latronem) *quę cum ita ſint, omniaque ſanctificata fuerint, ex cęleſtibus corporibus ſol: ex plantis lignum; ex animalibus fel; ex textilibus tunica non rupta; ex mari purpura veſtimenti; ex metallis, & ferro lancea, & claui, & gemini fontes ſanguinis, & aquę profuſę, Saluator quod ſuum erat, fecit, &c.* Hæc ille: ex quibus conijcio, linguas Hebræam, Græcam, & Latinam fuiſſe vi Sanguinis Chriſti in titulo ſacratas. Innuit id certè Ludolphus, & alij nonnulli recentiores. *Tres verò linguę prędictę ad principatum in Titulo Crucis ſunt conſecratę, quia illę prę cęteris eminebant, & principales erant.* Lucas Brugenſis: *Tres iſtæ linguę Chriſtianis omnibus ſunt commendatæ etiam in ſacris myſterijs, quod ſolæ pro omnibus in Cruce Domini fuerunt dedicatæ, à qua præter naturalem, alium ſingularem traxere ſplendorem.* Pulchrè in hanc rem

Ludolph. c. 63. de Paſſ. Dom.

Luc. Brug. in Luc.

Bar-

Barrad. lib. 7. c. 12. to. 4. concord. Euang.

Barradas: *Conſecratas habent Theologi in Titulo Crucis linguas tres, Hebræam, Græcam, & Latinam, quibus Scriptura ſacra traditæ ſunt: qui Scripturas diuinas cupit intelligere, diligenter his tribus linguis nauet operam, fiatque Crucis Titulo ſimilis. Suprema pars Crucis Titulus erat Hebraicè, Græcè, & Latinè conſcriptus: ſuprema pars hominis eſt intellectus, ijsdem tribus linguis nobiliſſimis conſcribatur, & illuminetur, Hebraica, Græca, & Latina.* Verùm Martinengus planiſſimè omnium id tradidit: *Neque enim,* inquit, *maximo vacat myſterio, Crucis Titulũ illũ Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum, Hebraicè, Græcè, & Latinè ſcriptum fuiſſe: Nam ſicut Chriſtus omnia in uberrimo ſanguinis ſui fonte expiauit: ita & has tres linguas purgare, & ſanctificare debuit, vt in eis Ieſu Nazareni nomen, ac omnis eius cæleſtis doctrina conſcribi dedecus non eſſet.* Adeo hoc verum, vt Eraſmus ipſe, & ſi hæreticus, id tamen Catholicè agnouerit: *Quæ ſanè tres linguæ, vel hoc nomine Chriſtianis omnibus*

Martineng. in gloſſ. magn.

Eraſm. in Luc.

de-

Digitized by Google

*deberent eſſe commendata, quod in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti ſint ſolæ omnibus dedicatæ.* Hinc factum opinor, vt Deus Optimus Maximus voluntatem ſuam in ſacris Literis per linguam Hebręam, Græcam, & Latinam potiſſimum mundo declarauerit. Inſinuat Hilarius: *His maxime tribus linguis ſacramentum voluntatis Dei, & Beati Regni expectatio prædicatur: ex quo illud Pilati fuit, vt his tribus linguis Regem Iudæorum Dominum Ieſum Chriſtum perſcriberet.* Et Apoſtolus Paulus hiſce tribus linguis, tanquam in Titulo conſecratis, vſus eſt. Belle id expoſuit Simeon de Caſſia, cum ait: *In his tribus linguis Apoſtolus ſuas tamen ſcripſit Epiſtolas, vnam ad Hebræos, aliam ad Romanos, duodecim ad Græcos.* Porro Chriſti Euangelium his tribus linguis deſcripſere Euangeliſtæ, Matthæus Hebraicè, Lucas, & Ioannes Græcè, Marcus verò Latinè: Marcum enim Latina lingua ſuum Euangelium Romæ exaraſſe, concordiſſimè docuerunt Richardus, Armacanus,

Hilar. præf. in Pſal.

Sim. de Caſſia lib. 15.

Richar. in cõfut. alior. cap. 3. Armac. lib. 9. de qq. Armen.



Digitized by Google

Iacob. de Vorag. ſer. de S. Marco. Genebr. in Chron.

Iacobus de Voragine, Genebrardus, & alij. Quocirca verba ipſa Tituli, nempe *Rex Iudæorum*, in quibus cardo Tituli conſiſtebat, Hebraicè Matthæus, Latinè Marcus, Græcè Lucas, & Ioannes conſcripſere. Hinc quoque factum eſt (docente Sà) vt quiſque recitare poſſit horas Canonicas non modo Latina, ſed Græca, & Hebraica lingua, non autem cęteris linguis. In hunc locum non abs re erit, ſi illa Andreæ Placi verba vſurpē: *Quæ ſanè tres linguæ, vel hoc nomine Chriſtianis omnibus deberent eſſe commendatæ, quod in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti ſint ſolæ omnium dedicatæ: quarum, vt ingenuè, ſimpliciter, verèque fatear, nullam perfectè calleo.*

Eman. Sà in Aphor. Cōfeſſ. tit. Horæ Canonicæ.

Andr. Plac. in lexic. bibl.

Sum-

# Summa Chriſti pręſtantia à triplici inſcriptione Tituli præſignificata eſt. Cap. XXIX.

Mpliſſimam Chriſti Dñi ſapientiã, nobilitatẽ, religionẽ, poteſtatem, & Regnum lingua Hebręa, Græca, & Latina in titulo deſignabat. De ſapientia teſtimonio ſunt verba illa Theophilacti: *Manifeſtat enim Dominum Regem eſſe philoſophia, practica, & Theologica, & naturalis &c.* Nobilitatem verò, & religionem eius indidem colligit Hugo Victorinus; *Tria notemus in Cruce Chriſtiana Nobilitatem, Sapientiam, & Religionem; vnde Titulus literis Latinis, Græcis, & Hebraicis inſcribitur. in Latino notatur Nobilitas, quã præcedebant Romani; in Græco Sapientia, quam ipſi requirunt: in Hebraico Religio,*

Theophyl. in Ioan.

Hugo Victor. in miſcell. lib. 4. cap. 92.

*ex qua Iudæi, qui petunt ſigna, præcedant.* Rurſus religionem, & poteſtatem Theophylactus *Hoc autem, etiamſi non è mente ſcribentis ſymbolum factum eſt, quòd potentiſſimi gentium, quales Romani, & ſapientiſſimi, quales Græci, & Chriſti religioſiſſimi, quales Hebræi, Regno ſubijciendi eſſent, & ipſum prædicare debeant.* Cum Theophylacto cõſentiunt Ludolphus, & Simplex ille Ordinis Minorum ſcriptor, laudatus à Mallonio: *Triplici famoſo idiomate,* inquit iſte, *ſcriptus eſt titulus, Hebraicè, Græcè, & Latinè: Hebræi Sacerdotium habebant, & Theologiam: Græci induſtriã, & ſapientiam: Latini imperium, & monarchiam. Chirſtus ergo, vt verus Sacerdos ſeipſum, obtulit in ſacrificium: vt Theologus primam vocem tituli vult eſſe Ieſum, myſterijs ampliſsimam: vt ſapiens, & induſtrius artem diaboli optima arte deluſit: ideò Nazarenus, ideſt florens in ſapientia: vt Rex & Monarcha cõſtitutus eſt Rex ſuper Sion Montem ſanctum eius, &c.* Maximam Chriſti dominationem, quam in homines

Theoph. in Luc.

Ludolph. c. 63. de Paſſ. Dom.
Minor apud Mallon. Elucid. de Cruce, & ſiculo.

nes ſibi fide comparauerat, indicat titulus tripliciter deſcriptus. Simeon de Caſſia: *Et magis præſagio factum eſt, quod in his tribus linguis Ieſus appellatus eſt Rex, quoniam omnium nationum profecto eſt.* Cum Simeone conueniunt Nicolaus de Gorran, & Ludouicus Tena. Porrò id benè declarauit Martinengus in hæc verba: *Hæ fuere* (loquitur de linguis tituli) *Hebraica, Græca, & Latina, hæque non abſq; myſterio ſelectæ ſunt: primò certè, vt ad tria potiſſimum imperia nationum earum, apud quas hæ linguæ vigebant, verbum Dei deferretur, ad Aſſyriacum ſcilicet, Medum, ac ſubſecutum Perſicum: quæ gentes Chaldeam linguam Hebrææ affinem, vti ſacroſanctam veneratæ ſunt: Ad Græcum tum in Aſia Alexandri Magni virtute dilatatam, tum in Græcia per non modica ſæcula Florentiſſimũ: Ad Romanum tandem, quòd omnem ferè mundum ſibi ſubiecerat.* Subdit idem Auctor in triplici ſcriptione tituli, Hebraica, Græca, & Latina præſignificari tres potiſſimum Eccleſias toto Orbe diffuſas,

Sim de Caſſia lib. 13.

Nicolaus de Gorr. in Io.

Ludou. Ten. in ep. ad Hebr. c. 15.

Martineng. in gloſ. magna.



Digitized by Google

quibus dogmata fidei fuere hominibus tributa, Synagogam ſcilicet Hebræam Eccleſiæ noſtræ exemplar, Græcam tantorum Patrum fulgore conſpicuam; Latinam denique Eccleſiarum omnium matrem.

## Cauſa cur Pilatus curauerit inſcribi Titulum Crucis. Caput XXX.

VAriæ, multipliceſq; cauſæ impulerunt Pilatum ad inſcriptionem tituli. Primas defero Diuino conſilio, de quo Gloſſ. Interlin. *Operatur diuina vis in corde neſcientis.* Gloſſam ſequuntur Petrus ad Boues, Iuſtus Lanſpergius, & Titelmanns. Aliquid his, atq; adeò multum addidit Calliſtus Placentinus, opinatus, Pilatum animum induxiſſe, vt inſcriberetur titulus Chriſto, eo quòd ipſe certum haberet Chri-

Gloſſ. interl. Ioa. 19.

ſtum

ſtum fuiſſe Regem. Ad veritatem autem magis accedit Rupertus Abbas, cum ait: *Scripturam hanc alio Spiritus ſanctus dictauit, atque alio Pilatus conſilio ſcripſit iſte, namque gloriari ſe ſperabat in hac malitia, & hoc titulo manifeſtius futurum, & clarius Cæſari annunciandum, ſe pro fide eius occidiſſe hominem, quem multa gentis illius turba, cum ramis palmarum excipiēs, regias illi laudes acclamauerat, Chriſtum eſſe illum exiſtimans, quem per Prophetas promiſſum expectabat. At verò Spiritus ſanctus, benè vtens maligni Scriptoris manu, hunc titulum fecit, qui Cælo, & Terra tranſeuntibus, non tranſibit, quia Ieſus Nazarenus, id eſt Saluator, & verè ſanctus Rex Iudæorum per Crucem ſuam eſt effectus.* Hæc ille. Verumenimuerò Pilatum hac tituli ſcriptura pœnam Chriſti, contra fas Cruci affixi, repetijſſe à Iudæis, eiuſq; innocentiam defendiſſe, exiſtimat Theophylactus his verbis. *Cæterum ſcribit titulum* (Pilatus) *partim vlciſcens ſe de Iudæis, vt ſibi inobedientibus, & oſtendens malitiā*

Rupert. lib. 13. in Ioan.

Theophil. in Lucam.

*eorum, quòd inſurrexerint contra proprium Regem: partim, & gloriam Chriſti defendens; quia enim illum cum latronibus crucifixerant, coinquinare nomen eius volẽtes, Pilatus oſtendit, quòd non fuerit latro, ſed Rex Iudæorum.* Idipſum ſentit Euthymius: *Scripſit ergo,* ait, *dictam cauſam, inſtituitque, vt ſcripta cunctis nota fieret, nè poſſent ſua malitia Iudæi Chriſto aliam cauſam affigere, aut diuulgare: ſimulque & hos notauit, & illi patrocinatus eſt, quòd propter inuidiã eſſet crucifixus.* At cõtra ad Chriſti irriſionem titulum fuiſſe conſcriptum, docuit Caietanus, quem pluribus refellit Salmero. Adſcribam tantummodo verba Ioannis Arborei, Theophylactum oppugnantis, quippequi ſcripſerat, titulum fuiſſe ſupra caput Chriſti affixum, quaſi Chriſtus rebellis, & ſeditioſus eſſet: *Nam ſi Pilatus* (inquit Arboreus) *eo fine feciſſet illam inſcriptionem in contemptum Chriſti, vt qui tranſirent illac, agnoſcerent Chriſtum iuſtam Crucis pœnam luiſſe, quod Regiam Iudæorum poteſtatem ſibi arrogaſſet, haud*

Euthym. in Matth.

Caiet. in Io.

Alphon. Salmero tract. 37.

Ioa. Arbor. in Ioan.

dubie

Digitized by Google

*dubiè ſauiſſet Iudæis vociferantibus præ inuidia, Noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed quòd ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum, quod tamen falſum eſt: ſed contemnendo calumnias & importunam Iudæorum loquacitatẽ, reſpõdit fauens veritati, Quod ſcripſi, ſcripſi.*

Quæri autem præterea poteſt, anne ad preces Iudæorum inſcribi iuſſerit Pilatus aliquem titulum Crucis? Et verò nemo omnium, qui de titulo ſcribunt, hanc rem tetigit, præter Ludolphum, & Ioannem Iuſtum Lanſpergium. Ambo aiunt Iudæos poſtulaſſe, vel potius flagitaſſe à Pilato ſcripturam tituli. Ludolphus: *Secundùm Theophylum Iudæi procurabant ſcribi titulum, & intendebant per hunc illuſoriè vituperare opinionem eius, qui Regem faciebat ſeipſum, vt ſic prætereuntes, ſui miſereri non valerent, ſed magis ei tanquam tyranno improperarent: ſed Pilatus non ſcripſit ſicut volebant.* Lanſpergius. *Chriſto tamen ſuperpoſita eſt cauſa ſcripta, Iudæis nimirum Pilato ſupplicãtibus, vt ſu perſcriberet, tanquam inſigniter flagitioſo,*

Ludolph. c. 63. de Paſſ. Dom.

Lanſperg. homil. 44. de Paſſ. Domini.

cru-

*crucifixionis eius cauſam, vt vel per hoc Chriſtum infamarent, grandiuſque fieret illius opprobrium, cum illi ſoli, vtpote magis peſtifero, non autem cæteris ſecum crucifixis causam eius Iudex ſuperſcribi feciſſet: Iudæi namque inuidiſſimi, cum omnia facerent, hoc eſt cum procurarent omnia, per Pilatum, tamen fieri contra voluerant, quòd ipſi innocentes crederentur.* Ex Lanſpergij verbis aduertite Iudæos petijſſe à Pilato, vt Chriſto, tanquam inſigniter impuro, & ſceleſto cauſa mortis ſuperſcriberetur, nō autem latronibus, qui cum eo crucifigebantur: hac enim tituli inſcriptione maximam Chriſto infamiam inferre intenbant.

Quid

Digitized by Google

# Quid de Pilato dicendum ſit ob ſcriptionem tituli, & an peccauerit, pœnaſq; dederit.

## Caput XXXI.

EX tituli inſcriptione, nullo ſuo merito, & ex gratia gratis data (vt aiũt Theologi) tanquam truncus, ſtipeſque duplicem ſuſtinuit titulum Pilatus, Prophetæ, & Apoſtoli diminuta ſatis, & metaphorica prorſus appellatione *Prophetæ*, veluti munere functus eſt Pilatus in exaratione tituli. Innuit Albertus. *Scripſit autem*, &c. *Pilatus Gentilis, quòd & in Gentilibus regnaturus erat Chriſtus, & ideò triumphale deſcripſit Gentilis*. Sed planius hoc ipſum affirmauit Gagneius: *Inſuper titulum Cruci apponi voluit tanquam ridiculum, niſi velit*

Albert. Magnus in Io.

Gagneius in Ioan.

*lis ipſum vti Caipham prophetaſſe, & verũ ſcripſiſſe.* Marcus Marulus: *Sic ergo Pilatus titulum hunc poſuit, ſicut & Caiphas prophetauit: hic confeſſus Sacerdotem, & Regem: ille Saluatorem pro Populo moriturum: myſterij tamen quòd in verbis latebat, vterque ignarus fuit.* Sanè id apertiſſimè arguit Ambroſius ex verbis illis Pilati. *Quod ſcripſi, ſcripſi: ideſt*, ait Ambroſius, *non ea ſcripſi, quæ vobis placerent, ſed quæ ętas futura cognoſceret: non vobis ſcripſi, ſed poſteritati propemodum, dicens: Habeat Helena, quę legat, vnde Crucem Domini recognoſcat.* Quanquam enim ironicè Pilatus, & per ludibrium titulum conſcripſerit, vt quaſi Propheta tamen vaticinatus eſt Chriſtum futurum Regem Regum, & Dominum Dominantium. Huc quoque faciunt verba Ruperti: *Et in illis Romanæ poteſtatis militibus, cum riſu genua flectentibus, vel ioco adorantibus, videte quid portendatur, & illius tacentis cogitatus ſonet in cordis veſtri auribus, velut ſi dicat, Viuo ego, quia mihi incuruabitur Romani Imperij*

Marc. Marul. lib. 2 de triumpho Crucis.

S. Ambroſ. orat. de obitu Theodoſij.

Ruper. lib. 12. de victor. Verb. c. 12.

rij

*rij genu, & confitebitur lingua Hebraica; lingua Græca, lingua Latina, me Regem eſſe Iudæorum; imò & Regum, & Dominum Dominantium: nec erit irritum, quamuis cum ironia, quamuis cum Chriſti irriſione ſcripſeritis, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorũ.* Porrò Angelum per Pilati linguam; ſicut per aſinæ Balaam loquutum eſſe cum efformaretur titulus, affirmat Ioannes Raulinus: *Pilatus noluit mutare titulum, nõ quod ipſum intelligebat, ſed ſicut per aſinã Balaam loquutus eſt Angelus verba, quę ipſa non intelligebat, ſic per Pilatum agebatur.* Ioan. Raulin. ſerm. 1. de Paſſ. Domini.

Præterea Apoſtolatus gradu dignum ſcriptione Tituli Præſidem Pilatum aliquid exaraſſe videtur, quod Claudius Guillaudius in hæc verba docuit: *Quoniam mors Chriſti omnibus Hebræis, Gręcis, & Latinis prędicanda erat, quòd Chriſtus pro omnibus veniſſet Saluator, Pilatus veluti primus Chriſti Apoſtolus factus, hoc tam admirabile myſterium deſcripſit.* Guillaudio concinit Salmero: *Pilatus veluti pri-* Claud. Guillaud. in Io. Salmero t. 37.

*primus Christi Apoſtolus, hoc tã admirabile myſterium prędicauit, & ſcripto in titulo prodidit.*

An verò propter huiuſmodi tituli ſcripturam Pilatus peccauerit; Ego equidem haud vereor affirmare: quinimò inter plurima ſcelera à Pilato in Chriſtum edita, hoc certè exiſtimo fuiſſe maximè deteſtabile, cum poſt tot ignominias, quibus Chriſtum appetijt, etiam inſcriptione tituli, veluti ſummo dedecore, turpiſſimaque macula notare voluerit. In hanc rem ſcripſit Tullius Chriſpoldus: *Poſuit ſuper Crucem* (loquitur de tabella tituli) *vt habuiſſe illius crucifigendi cauſam videretur: Cæterum in hoc ſeipſum miſer accuſabat, nullum enim titulus Domini noſtri crimen indicabat.* Quin ẽt ob hãc ſceleris atrocitatem Caius Imperator, tot, tantiſq; ſupplicijs, & pænis mulctauit Pilatum, vt deſperatione animum eius occupante, gladio ſibi necem conſciſceret. Totum hæc peregregiè tractat Rupertus: *Quod ſcripſi ſcripſi; ergo ſignaſti, Pilate, iniquitatẽ tuam*

Tull. Criſp. comm. 3. de Paſſ. Dom.

Rupert. lib. 13. in Ioan.

*tuam in manu tua, quia ſtabile, & fixum vis eſſe, quòd Regem Chriſtum, expectationem Iſrael interfeceris, & oracula Prophetarum incerti, vt putabas Dei caſſaueris, dicentium de hoc Rege, quod magnum habiturus eſſet Regnum, videlicet quia dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarũ.* Poſt alia, atque alia Prophetarum enumerata oracula, Rupertus ſubdit: *Hæc vel huiuſmodi præconia Chriſti tu audiſſe poteras quomodo & Herodes, qui venientibus, ab Oriente Magis, vltro conuocans Principes Sacerdotum, & Scribas Populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. Quod ille efficere non potuit illuſus à Magis, tu te prudenter egiſſe putaſti. Fruſtrabitur te ſpes tua, quia nec huius occiſi Regis Iudæorum iudicium effugies, nec ſaltem Cæſaris tui menſa pro hoc facto, vel ſcripto* (titulum intellige) *tu familiarius fruiturus es. Fertur enim, quia propter hoc Romam adductus à Tiberio Ceſare, exilio damnatus eſt, ſententia tam intolerabili, vt per impatientiam inediæ gladio*

*ſibimet*

*ſibimet mortem conſciuerit.* Hactenus de nefario Pilati facinore, deque mulcta illi irrogata ob inſcriptionem tituli.

## Quid eſt, quòd Iudæi petierint à Pilato deleri Titulum Crucis, & qua hora. Caput XXXII.

CVm veſtigarem, quid nam eſſet, cur Iudæorum *Pontifices* popoſcerint à *Pilato* mutationem tituli verbis illis: *Noli ſcri-*
Ioan. 19. *bere Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit Rex ſum Iudæorum*, huiuſce ego rei cauſas reperi præcipuas duas. Prima illa eſt, quia deprehenderunt, titulum ad eorum dedecus fuiſſe deſcriptum. Huc pertinent verba Auguſtini, *Indignati ſunt Iudæi,*
S. Auguſt. in Pſal. 96. *quia inſcriptus erat titulus Rex Iudæorum: puduit illos habere Regem, quem crucifigere potuerunt.* Cum Auguſtino conſenſit Dio-

Dionyſius Chartuſianus: *Videbatur enim Iudæis titulus præſcriptus in eorum verecundiam redundare*. Idem alibi: *Vnde cum quadam Iudæorum irriſione ſic ſcripſit, tanquam diceret, ecce qualem apparentiam habet, quòd iſte voluerit eſſe Rex Iudæorum: vnde Pontifices lecto hoc titulo, indignati ſunt, dicentes Pilato, &c.* Altera verò cauſa fuit inuidia, qua diſrumpebantur, intelligentes immortalem gloriam dediſſe Chriſto ſcripturam tam nobilis tituli. Etenim ſummo honori illi fuit titulus iſte, teſte Origene: *Siue occaſione, ſiue veritate Chriſtus Rex pronunciatur: & omnis litera regnum eius teſtatur; ſiue Græcorum, ſiue Romanorum, ſiue Hebraicorum, & pro corona ſupra caput eius ſcriptum. Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum.* Theophylactus, *Scripſerunt enim cuius gratia crucifixus eſſet, nempè, vt Rex Iudæorum, & rerum nouator: Illi igitur regnum aſcripſerunt pro accuſatione. verumtamen teſtimonium illud fidele etiam ab inimicis adductum.* Idipſum pluribus, & elegantibus verbis expreſſit

Dionyſ. Chartuſ. in c. 23. Lucæ.

Idem in Io.

Orig. tract. 35. in Ioan.

Theoph. in Matth.

Brendebac. in cap. 27. Matth.

Brendebachius : *Huius tituli iubar non tantum terrarum, ſed & Cælorum Orbem illuſtrauit, vt omnibus creaturis patefactum ſit ſcelus tuum nefarium, quòd Meſſiam tuum, hoc eſt Regem cælitus tibi à Deo miſſum crucifixeris.* Plura ſubdit in hanc rem Brendebachius, quæ apud ipſum lege, ſi libet. Quocirca huic gloriæ, quam Chriſtò peperit inſcriptio tituli, maximè inuidentes Iudæi, dixerunt Pilato: *Noli ſcribere Rex Iudaeorum, ſed quia ipſe dixit Rex ſum Iudaeorum.* Profectò perbellè tradidit Cyrillus Alexandrinus. *Non poſſunt ferre huiuſmodi titulum Principes Iudaeorum, ſed acri turbati inuidia, regnum pernegant Chriſti: nunquam enim, inquiunt, Rex iſte fuit, quem vos in Regem nunquam ſuſcepimus; ſed ipſe huiuſmodi verbis vſus eſt.* Iam verò etiam huc tendebant conuicia illa, quibus Iudæi Chriſtum fixum Cruci iactabant: *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei.* Ita exponit Ioannes Chryſoſtomus: *Nam quoniam,* inquit, *ſcriptam à Pilato cauſam tollere non potue-*

Cyrill. Alex. lib. 12. in Ioan. c. 21.

Matth. 27.

Chryſoſt. hom. 88. in Matth.

*runt*

*runt; quia ſcriptum erat Rex Iudæorum, repugnauit ille, dicens, Quod ſcripſi ſcripſi: ideò vituperando videbantur oſtendere, quia Rex non eſſet: ideò & illa, & iſta dicebant: Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de Cruce,* &c. Ex Chryſoſtomo Euthymius explicans verba illa. *Si Rex Iſrael eſt*, &c. ait: *Hoc dicebant propter tituli inſcriptionem: cum enim non potuerint eam ſubuertere, falſam nituntur illam arguere, eò quòd ſibi impoſſibilia quæſierit.* Euthym. in Matth.

Verùm antequam hoc finiam caput, mihi libet quæſtiunculam adijcere de hora, qua Iudæi poſtularunt à Pilato, vt inuerteret titulum Crucis, aduerſus quēdam, aſſerentem, Iudæos non eo tempore, quo Chriſtus adactus eſt in Crucem, ſed aliquot diebus poſt crucifixum Dominum, id à Pilato petijſſe. Quæ quidem opinatio quàm falſa ſit, & perſpicuè mēdax, euincit locus Hermiæ Sozomeni, narrantis milites Pilati ante veſperam Paraſceues Cruces Chriſti, & latronum, nullo ordine, aliam alio in loco, in vallem Sozom. hiſtor. Eccleſ. lib. 2. c. 1.

abiecisse: Sozomenus enim de inuentione Crucis loquens, ſic ait: *Cæterùm adhuc erat perdifficile Crucem Domini à reliquis duabus internoſcere, diſcernereque, præſertim cum non illius modo inſcriptio ab eo diuulſa, diſtractaque eſſet; verùm etiam ipsæ tres Cruces promiſcuè proiectæ*, &c. Subdit verò paulò poſt; *Postremo Cruces nullo ordine aliam alio in loco proiecerunt: nam quid curæ putes illis fuiſſe de Crucibus reponendis ordine, quo priùs erant, præſertim cum ſinguli feſtinarent ante redire, quàm adueſperaſceret, & non ducerent operæpretium in crucibus hominum per vim interfectorum, ordine collocandis, aliquid temporis conſumere.* Hanc eandem Sozomeni rationem, atque ſuam, quam adijcit, alteram ſuggerit Nicephorus Calliſtus hiſce verbis: *Ordine confuſo Cruces diſiectæ fuerunt: quid namque curarent, qui ita illas temerè diſiecerant, vt loco ſuo quamque relinquerent, præcipuè cum milites mortem propter Sabbathum deproperarent, idemque præterea inauſpicatum eſſe crederent, ad Cruces morari*

Niceph. lib. 8. c. 29.

rari

*rari virorum, qui per vim illatam mortui eſſent. Quapropter alia alio proiecta.* Sozomeno, & Nicephoro ſubſcribit Chriſtianus Adrichomius: *Milites Christi crucifixores, postquam latronum, qui cum Christo crucifixi erant, crura fregiſſent, ob imminẽtem veſperam, & diem feſtum, eorum cadauera, & Cruces ſimul & Christi iam ſepulti Crucem, & Titulum in hanc vallem præcipitauerunt.* Hinc liquet, mox ab affixione tituli Hebræos petijſſe à Pilato mutationem illius. An verò ex Monte Caluariæ domum Pilati reuerſi fuerint Iudæorum Pontifices, vt hoc poſtularent, ambiguum eſt. Forſitan Pilatus, vt ſcribit Barradas, cùm Iudæorum Pontificibus in Montem Caluariæ venit.

Chriſt. Adric. n. 242. deſcrip. Ieruſ.

Barrad. lib. 2. t. 12. concord. Euang. c. 4.

# Quid Pilatum cohibuit nè mutaret Titulum Crucis. Caput XXXIII.

AD Pontificum preces noluit, à Spiritu ſancto edoctus Pilatus, inuertere ſcripturam Tituli, teſte docto viro Friderico Nauſea cum ait: *Pilato à Spiritu ſancto ſuggeſtum, ne mutaret titulum: verùm neſciebat quid ageret*. Sumpſit id fortaſſe Nauſea ab Auguſtino, qui ait: *Reſpondit Pilatus, dicens, quod ſcripſi ſcripſi. O ineffabilem vim diuinæ operationis, etiam in cordibus ignorãtium; non ne occulta vox quædam Pilato intus quodam, ſi dici poteſt, clamoſo ſilentio perſonabat, quod tanto ante in Pſalmorum literis prophetatum eſt, Ne corrumpas,* &c. An noluit Pilatus, quia inſanire in honorem Chriſti nequibat? Audi Cyrillum, id apertè affirmantem in hæc verba: *Non*

Frid. Nauſe cẽt. 1. hom. 37. de Paſſ. Dom.

Auguſt. tractat. 117, in Ioan.

Cyrill. Alex lib. 12. in Ioa. c. 31.

Digitized by Google

*Non vult autem Pilatus mutare titulum, quia non fuit in omnibus ſibi diuinitus permiſſum aduerſus Saluatoris gloriam furere.* Huic affine eſt Hugonis Cardinalis dictum, nimirum, quòd hoc fecerit Pilatus, vt Chriſti innocentiam tueretur, *Quod ſcripſi,* inquit, *ſcripſi, id eſt indelebilem titulum appoſui, quia indelebilis eſt memoria eius Prou. 10. Memoria iuſti cum laudibus.* Apertiſſimè verò in hanc ſententiam ſcribit Hector Pintus: *Diſpoſuit Deus, vt Pilatus, qui Iudæis in morte Chriſti aſſenſus eſt, eiſdem in delendo titulo nequaquam aſſentiretur, vt eſſet vniuerſo Orbi cognitum, & perſpectum, eſſe Ieſum Chriſtum Iudæorum Regem, illis per ſanctos vates ſæpenumero promiſſum.* Quin etiam nolens Pilatus delere inſcriptionem tituli, æque & Chriſti vindicauit innocentiam, & Iudæos notauit infamia, vt ait Ianſenius: *Ita enim Pilatus aſpergere voluit ignominia Iudæos, qui nomine Regis Iudæorum ipſum ad innocentis necem coegerunt: ignominia enim Iudaici nominis erat, Regem Iudæorũ pendere in Cruce.*

Hugo Cardinalis in Marc.

Hect. Pint. in c. 32. Iſa.

Ianſen cap. 143 cõcord. Euang.

Et verò dicet quiſpiam; inde mutare noluit Pilatus titulum, quia Præſidem mutari minimè decebat. Affirmo cum Simeone de Caſſia, qui Pilatum ipſum ita loquentem adducit. *Quod ſcripſi, ſic ſcripſi, vt ſecundùm Preſidentiam noſtram mutare non licet, decet enim Præſidem ita prauidere quod dictat, ne cogatur ex imperitia retractare quod dixerit more Præſidētis.* Subdit Simeon: *quia ſic erat, loquebatur Pilatus & tanquam homo prædoctus, & prouidens in agendis, vt quia præſes mutare non debebat, nè plebs de ipſo propter inconſtantiam ridiculum faceret: & præintendebat prouidentiam, ſeruãdo conſtantiam, non permutare titulum, tanquam malè prouiſum ſed velut in aula prudentię pręornatum: vnde quod ſcripſi in tabula, prius ſcripſi in prudentia, quod ſcripſi literis, prius ſcripſi in iudicio rationis.* Hæc ille. Noluit Pilatus, quia vt Iudex ſemel ſuo officio functus, iuxta legum præſcriptum, Tituli ſcripturam immutare nequiuerat: de ampliãda, vel minuenda pœna damnatorum poſt

Sim. de Caſ-ſia c. 13.

l. acta. l. Iudex, ff. de re iudic.

ſen-

ſententiam dictam, inquit Paulus Iuriſconſultus, & Vlpianus, *ſine principali auctoritate nihil ſtatuendum, hoc iure vtimur, vt Iudex, qui ſemel, vel pluris, vel minoris condemnauit, amplius corrigere ſententiam ſuam non poſſit: ſemel enim malè, vel benè officio ſuo functus eſt*. Huc facit locus Apulei primo floridorum: *Proconſulis autem Tabella ſententia eſt, quæ ſemel lecta neque augeri litera vna, neque minui poteſt, ſed vtcumque recitata, ita prouinciæ inſtrumento refertur*. Lege Mannum, & Greſſerum, qui multa huic rei conuenientia diſputant. Vnum addam, apud Medos, & Perſas, legem ſcitam eſſe, nè Reges ipſi ſententiam reuocare poſſent, quam aduerſus aliquem pronunciaſſent. Diodorus Siculus. *Cum Perſarum Rex maximè cuperet reuocare decretum, quod in Charidemi caput tulerat, illumque à morte liberare, non tamen quicquam potuit contra legem qua iubente, licet dolente, ac repugnante Rege, capitale ſubijt à lege ſupplicium*. Huc pertinet locus Danielis, vbi ſermo eſt de

Marin. 297: 198 ſelect. hiſtor. Greſler. lib. 1. de Cruce cap.

Diodor. Si-cul. c. 14.

Da-

Dan. 6. Daniele ad Leones damnato: *Viri aũt illi intelligentes Regem, dixerunt ei: Scito Rex, quia lex Medorum, atque Perſarum eſt, vt omne decretum, quod cõſtituerit Rex, non liceat immutari*. Vſque affatim diximus de verborũ Tituli immutabilitate.

## Figurę Tituli Crucis. Caput XXXIV.

LApideæ tabulæ, in quibus digitus Diuinus præcepta Decalogi inſculpſit, tabulæ Tituli Crucis figuram expreſſerũt. Huc fortaſſe alluſit Arnoldus Carnotenſis, cum ait: *Verùm Chriſtus, & falſos defenſores fidei, hæreticos, & inimicos gratiæ Iudæos præſenti iudicio deſtruit, & conuincit, mutans legem in gratiam, terrorem in manſuetudinem, aſperitatem in lenitatem, vmbram in veritatem, iudicium in miſericordiam. Nouus Rex, noua lex: nouus Dux, noua lux, fractis prioribus tabulis, & ſilice ad ſilicem*

Arnold. Carnot tract. de ſept. Verb. Dom.

*licem comminuto, nouis ſubſcriptionibus ſigis titulum, & dictat pietas, & diſcernit omnia charitas.* Porrò lamina aurea Summi Pontificis, cui inſcriptum nomen ineffabile יהוה *Iehoua*, Titulum Crucis expreſſiùs adumbrabat. Ita Origenes: *Et Princeps quidem Sacerdotum ſecundùm literam legis portabat in capite ſuo formam ſigni, & ſanctificationem Domini ſcriptam in metallo: verus autem Princeps Sacerdotum, & Rex Ieſus, in Cruce quidem habet ſcriptum Hic eſt Ieſus Nazarunus Rex Iudæorum.* Ex Origene Paſchaſius: *Scribitur autem cauſa Ieſu ſuper caput eius, & ponitur ac ſi corona Sacerdotalis, quam portabat Sacerdos ex lege in capite ſuo, formam habens Pontificatus Chriſti: & ideò laminam conſcriptam ferebat aureã in fronte, vt verum præſignaret Pontificem Ieſum, cuius nunc Titulus quis ſit, & quid ſit, verè ſine corruptione ſuper Crucem, ac ſi in fronte ponitur, vt cunctis liqueat legentibus, quòd ipſe eſt Ieſus verus Pontifex, Rex Iudæorum.* Marcus Marulus: *Quod ſcripſi ſcripſi, mihi videtur*

Orig tract. 35. in Ioan.

S. Paſchaſ. lib. 12. in Matth.

Marc. Marul. lib. 12. de triumph. Cruc.

Digitized by Google

*videtur Tituli huius typus fuiſſe lamina illa aurea, quę ſuper tiaram ſummi Sacerdotis poſita, fronti imminebat: ſic enim & Titulus iſte ſupra caput Ieſu affixus fuit, vt hunc eum eſſe Sacerdotem indicaret, cui dictum eſt Tu es Sacerdos in æternum.* Ianſenius: *Itaque Titulus ille, Pilati iudicio ignominioſus, pijs eſt glorioſus, à quibus agnoſcitur Titulus triumphalis, magis exornans caput Ieſu veri Pontificis, quàm lamina illa aurea, habens in ſe ſcriptum ineffabile nomen Dei, ornabat caput Pontificis veteris legis.* Illuſtris prætereа figura fuit Tituli Crucis monumentum illud Abſalonis, de quo Mallonius, *Ego verò*, inquit, *crederem etiam figuratum in Titulo Abſalon 2. Reg. 18. Ipſe enim erexerat ſibi Titulum cum adhuc viueret, dicens, Non habeo filiũ, hoc erit monumentum nominis mei. Ita Chriſtus monumentum ſibi adeſſe voluit nominis ſui.* Hactenus figuræ veteris teſtamenti. Habeo aliud etiam ſignum tituli, quod obſeruem in nouo ex Auguſtino, qui pulchrè Magos cũ Pilato, & illorum

Ianſen. cap. 143 cõcord. Euang.

Dan. Mallon. Elucid. de Cruce, & cit.

S. Auguſt. ſerm. 3. in Epiph.

rum factum cum iſtius facto comparauit. *Hinc & Pilatus nonnulla vtique aura veritatis afflatus eſt, quando in eius paſſione Titulum ſcripſit Rex Iudæorum, quem Iudæi conati ſunt mendoſè emendare: quibus ille reſpondit; Quod ſcripſi ſcripſi, quia prædictum erat in Pſalmo Tituli inſcriptionem nè corrumpas. Aduertamus itaque magnum hoc, & mirabile Sacramentum: Magi ex Gentibus erant, ipſe etiam Pilatus ex Gentibus: illi ſtellam viderunt in Cælo, ille Titulum fixit in ligno: vtrique tamen non Regem Gentium, ſed Iudæorum, vel quærebant, vel agnoſcebant; Iudæi verò ipſi nec ſtellam ſequuti ſunt, nec titulo conſenſerunt. Iam igitur præſignabatur, quod poſtea ipſe Dominus dixit, multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & cum Iſaac, & Iacob in Regno Cælorum: Filij autem Regni ibunt in tenebras exteriores: Nam Magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente venerat; vnde illi Orienti, hoc eſt naſcenti, ille autem Occidenti, hoc eſt morienti atteſtabatur Regi Iudæorum, vt cum Abraham, &*

*Iſaac*

Digitized by Google

*Iſaac, & Iacob, ex quibus Iudæi ducebant originem, recumberent in Regno Cælorum, non ex eis propagati per carnem, ſed eis inſerti per fidem, vt ille, de quo Apoſtolus loquitur, oliuæ inſerendus, iam præmonſtraretur oleaſter. Propterea quippe non Rex Gentium, ſed Iudæorum ab eiſdem Gentibus, vel quærebatur, vel agnoſcebatur quia oleaſter ad oliuam, non ad oleaſtrum oliua veniebat. Rami tamen tangendi, hoc eſt infideles Iudæi, & Magis inquirentibus vbi Chriſtus naſceretur; in Betlehem Iudæ reſpondebant: & Pilato exprobante, quòd Regem ſuum crucifigi vellent, pertinaciſſimè ſæuiebant. Itaque Magi adorauerunt, Iudeis oſtendentibus, locum Chriſti naſcentis, quia in ſcriptura, quam Iudæi acceperunt, Chriſtum cognoſcimus. Pilatus ex Gentibus manus lauit, Iudeis mortem Chriſti petentibus, quia ſanguine, quem Iudæi fuderunt, noſtra peccata diluimus. Sed de teſtimonio Pilati per titulum, in quo ſcripſit Regem Iudæorum eſſe Chriſtum, alius eſt differendi locus, quo paſſionis eſt tempus.* Itidem peculiare ſym-

bolum

bolum triplicis inſcriptionis Tituli fuit litera Hebraica Thau, vt S. Petrus Mauritius, Abbas Cluniacenſis eruditè explicat his verbis. *Illud quoque huic intellectui ſeruit, quod hæc litera nec prima, nec media, nec quolibet modo, ſed vltimo loco in literarum Hebraicarum ordine ſcribitur, vt formam Crucis habens litera, dum finem præcedentibus literis ponit, Chriſtum Sacramento mortis ſuæ, quam in Cruce paſſus eſt, prioribus Sacramentis finem perficientem per Crucem poſuiſſe declararet. Sic litera prophetica, & Cruci Chriſti, eiuſq; Paſſioni famulans, cùm vel forma, vel nomine Hebræos, Græcos, Latinosque occupauerit, quid aliud, quàm per tres principales linguas omnibus linguis, & Gentibus Chriſtum per Crucem principaturum ſignauit, planè Chriſtum per Crucem dominaturum Orbi Terrarum, ſicut & Apoſtolus ipſe confirmat, dicens: Chriſtus factus eſt;* &c. Hæc ille. Ego verò in hoc maximè admiror vultum hominis, quòd Tituli Crucis ſpeciem, figuramque imitaretur. Id eleganter expoſuit Lucas Tu-

S. Petr. Cluniac. epiſt. aduerſ. Petrobuſianos.

Luc. Tuden. lib. 2. aduer. Albigen.

denſis

denſis: *Homo præterea, qui ad ſimilitudinē Dei factus eſt, diuino præſagio in ſuo corpore ſimilitudinem expreſſius continet Crucis. Nam extenſis brachÿs ab extremitate vnius manus vſque ad aliam, latitudinem innuit Crucis: à brachÿs vſque ad pedes longitudinem: à brachÿs verò vſque ad ſummitatē capitis altitudinem. Sunt etiam in humano corpore quaſi duo Thau, à brachÿs inferius vnum, & ſuperius aliud: collum enim, facies, & aures Crucis imaginem gerunt: & in narium diſpoſitione, atque ſuperciliorum Thau figura conſiſtit. In ipſa hominis facie quaſi quidam Regalis titulus, nomen, & Regnum continens Saluatoris: loquela, qua Deum laudamus, oculorum, & ſenſuum eminet pulchritudo.* Sanè plus æquo in tituli figuris immorati ſumus. Ageſis, nunc de arcanis literarum tituli videamus.

# Arcana literarum Tituli. Caput XXXV.

HEbræorum conſuetudinis fuit numeris vti loco literarum, ſic iſta duo nomina אסתר *Eſther*, & שושנה *Suſanna*, ſunt, quemadmodum obſeruarunt Rabini, *ἰσόψηφα*, & ſingula valent 661. Similì ratione apud Græcos inualuit hic vſus. Etenim literæ portentoſi illius nominis, *ἀβραξας*, quo Baſilides Omnipotẽtem Deum appellabat numerum 365. concipiebant, qui numerus continebatur in annuo ſolis curſu, eumqne Ethnici ſub eodem numero 365. aliarum literarum *S. Hieron.* vocant *κεὶθραν* teſte doctiſſimo S. Hiero- *comm. in c.* nymo Comment. in Hamos. Huc etiam *3. Hamos.* facit ingenioſiſſima eiuſdem Hioronymi *Idem in c.* obſeruatio in illud Reg. 3. cap. 19. *Et de- 8. Zacharię* relinquam in Iſrael ſeptem millia virorum,

*quorũ genua non ſunt incuruata ante Baal. Quod autem*, inquit Hieronymus, *numerum ſeptem millium ad Chriſtianorum nomen diximus pertinere, ſupputa Græcè* ἐπαλὶς κύλιούς, *&* χριστιανούς *: & eundem numerum, ſummamque reperies; ideſt mille nongentos quadraginta unum.* An idẽ mos Latinis fuerit, prorſus ignoro. Illud verò me non præterit, literas vniuſcuiuſque inſcriptionis Tituli Hebraicę, Græcę, & Latinę pulcherrima cõplecti myſteria numerorum. De literis Latinæ inſcriptionis hæc animaduertit Petrus Opmeerus, *Quòd uti Hebraicis ſignificatur vocabulis, ita Latinis numerorum characteribus IesVs NaZarenVs, ReX IVdaorVM continentur anni, qui intra tẽplum à Salomone ædificari captum (in quorũ typo ſacrificia ſacrificium hoc Chriſti ſignificantia, offerebantur) & natum Chriſtum Regem effluxere, nempe* 1032. *Græca quoque contineri non vulgaria, ac paſſim obuia myſteria nobis perſuademus,* de quibus acutè ſcripſerat idem Auctor

Petr. Opmeer. in opere Chronographia.

in

in margine. *Numurus characterum Græcorum continens tertia ſui parte, nẽpe 1870. reſpondet anno à Chriſto nato, ad eum annũ, quo Isaac, qui circumciſus erat, duxi vxorem Rebeccam, ex incircumciſis ortam, myſterium Eccleſiæ, ex Iudæis, & Gentibus per gratiam in Chriſto vniendæ.* Hunc eundem planè numerum 1870. obtinẽt literæ Hebraicæ tituli, quem protulit Pagninus ישועהנצרי מלך היהודים *Ieſciuãgh Hañotzri Melec Haiehudim*. Porrò autẽ non anno 1870. vt autumat Opmeerus, ſed vt Auguſtinus Torniellus, & Iacobus Salianus æque conſentientes, monumẽtis annalium mandarunt, anno 1875. ante Chriſtum natum Iſaci matrimonium contigit: quem profectò numerum concipiunt charactéres inſcriptionis Hebraicæ, quam Sixtus Senenſis, & alij recenſuere: יהושעהנצרי מלך היהודים *Iehoſciuangh Hanotſri Melec Haiĕudim*. Hæc ſunt mira literarum tituli arcana, quæ indagaui & patefeci: mox ſermonem ad alia tituli admiranda, vt par eſt, transfero.

Auguſtin. Torniel. to. 1. ſacror. Annal. anno mũdi 2175. Iacob. Salian. tom. 1. Annal. Eccleſ. veteris teſtam. eod. anno.

# Miracula Tituli Crucis. Caput XXXVI.

TRia miranda prodigia, quę Redemptori noſtro in Cruce pendenti acciderunt, ea vim triplicis inſcriptionis Tituli, numenque declararunt. In his illud primum occurrit, quod Chriſtus Dominus ob Tituli ſcripturam Patrem veluti coronam ſuſcipere, promeritus eſt. Id ſignificat Origenes illis verbis: *Aſcendens autem ad Patrem, & ſuſcipiens Patrem in ſe pro literis, & pro nomine habet, qui nominatur, & habet eum coronã, & dignus eo effectus.* Alterum Tituli miraculum fuit mundi concuſſio, cælique diſruptio, vt notum fieret toti Orbi Terrarum nomen Ieſus in Titulo ſcriptum, iuxtà Iſaiæ vaticinium, *Vtinam diſrumperes Cælos, & deſcenderes, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis.* Huc reſpexit Cyprianus, cum ait: *Tonitruis*

Orig. tract. 35. in Matt.

Iſai. 64.

S. Cyprian. tract. de Montib. Sinã, & Sion.

*truis horribilibus, terraque concuſſionibus mundus concutiebatur: Tunc apertum eſt Cælum; & notum factum eſt ſalutare hoc Ieſu nomen in fronte Crucis.* Tertium fuit latronis conuerſio cum prodigijs quam maximis annumeranda: is enim ſimul atque verba Tituli legit, illico euaſit ex latrone Euangeliſta. Audi Athanaſium, copioſè de hac re ediſſerentem. *Cæterum fugit eos, quòd cum latronem unà cum Chriſto crucifigebant, proprijs ſuis ſuffragijs præconem Regni Crucifixi pronunciarent: Domine, inquit, memento mei cum veneris in Regnum tuum. Tanquam latro crucifixus es, ò bone, & repente Euangeliſta euaſisti? Tanquam Regem honoras, quem inhonorare iuſſus fueras? Memento mei, &c. Quid ais, Latro? ignoras quæ pateris? Oblitus es clauorum, & non ſentis dolorem, tanquam in templo quopiam orares, non in ligno penderes, ita ſupplicas? Vidi, inquit, Templum Dei verum, & ſupplicare deſideraui: cognoui ex inſcriptione eius dignitatem: vidi condemnationem, Regnum ipſius enunciantē: animad-*

Athan. ſer. in ſancta Paraſceue.

uerti in accuſatione gratiam diadematis re-ſulgentem. Si enim dum crucifigitur, iam regnat, qualis futurus eſt iam coronatus? Regnum eius creatura manifeſtat, ſol crucifixum videt, & apparere non audet, eripit crucifigentibus lucē pro Domino ſuo pugnās, nocteq; extraordinaria iniquam Iudæorum temeritatem condemnat. Terra agitata turbatur, ſuoque concuſſu, Dominum in Cruce ſuſpendentes, ſuſpendit. Quomodo non afficiar? Regem iniuria affectum titulus clamat, creatura teſtatur, quæ in literis lego, Domine memento mei cum veneris in Regnum tuum. Succinit Athanaſio Raulinus: Ipſa in Cruce pendente, primò cognouit eum latro, non tam nomine, quam re eſſe Saluatorem, unde ait Memento Domine, Secundò cognouit eū in patibulo innocentem, & virtutibus plenū, cum ait: Hic autem nihil mali fecit. Tertiò Regnum, & poteſtatem eius ibidem legit, cū dixit, Dum veneris in Regnum tuum. In primo eſt Ieſus, in ſecundo Nazarenus, in tertio Rex Iudæorum. Idcirco ad ſcripturam tituli latro pertinebat, cumque intra ſe Tituli

Ioan. Raulin. ſerm. 1. Paſſ. Dom.

literę

Digitized by Google

*litera recipiebant.* Id planè docuit Arnoldus Carnotenſis. *Iam ad hanc ſcripturam, inquiens, Latro crucifixus pertinebat, & eũ intra ſe illa literæ colligebant: iam ſpes ſubintrabat conuerſo, quia crucifixo ſibi mũdo, inhiabat cæleſtibus, dilatatuſque charitate, quaſi conſputis, repudiatiſque, quæ infra ſunt, cum Chriſto tractabat de Regno, affectabat ſuperiora.* Sed ab his Tituli prodigijs ad ea, quæ ſunt his ſimilia, tranſeamus. Arnold. Carnot. de ſept. verbis Dom.

## Titulus Crucis, quàm infenſus Dæmoni. Caput XXXVII.

IN Tituli, ſcriptura vis quædam diuina, virtuſq; inimica Dæmoni cernitur. Hanc Tituli virtutem breuiter hic recenſet Gerſon: *Et eſt,* inquit, *Titulus hic tanquam ſignum triumphale vexilli Ieſu Chriſti, eſt tanquam color eius, & unicuique Chriſtiano, qui ipſum defert, vel dicit, in bona credu-* Gerſ. de Paſſ. Dom.

*litate, valet contra omnes inſultus diabolicos, ſecundùm quod aliqui (quòd ex reuelatione illud habuerunt) aſſerunt, quod facilè credi poteſt*. Idipſum prolixo proſequitur ſermone Ludolphus Chartuſianus: *Ex iſto articulo ſuperſcriptionis Tituli habetur documentum, quòd quandocumque impugnamur à dæmone, opponamus ſibi Titulum iſtũ Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Qui ideò Titulus triumphalis dicitur, quia triumphũ Chriſti contra Diabolum exprimit. Quod ſẽtiens Diabolus, mox affixo Titulo Cruci; Iudæos inſtigauit, vt à Pilato Tituli mutationẽ peterent. Sed Pilatus diuino inſtinctu in hoc facto motus, immutabilem eſſe Titulum aſſeruit. In omni ergo impugnatione diabolica Chriſtianus hunc Titulum in corde, & ore, vel etiam in ſcripto gerat: quia inter omnia arma Paſſionis Dominicæ Diabolus hũc Titulum trimphalem maximè perhorreſcit, prout metipſe Diabolus cuidam perſonæ deuota in viſione quadam exactus aſſeruit.*

Ludolph. c. 63. Paſſ. Dñi

Quamobrem obſecro te, Chriſtiane Lector, vt poſthac ſingulis diebus, & mane,

&

& veſperi triumphali hoc Titulo frontē tuam ſignes: ſic profectò Diabolum vinces, quemadmodum Chriſtus ſub eodem Titulo illum mirabiliter expugnauit. Ad hoc quidem agendum diligentiſſimus ille rerum aſceticarum Scriptor Iuſtus Lāſpergius inuitat his verbis: *Docemur quotidie, & mane, & veſperi hoc Titulo nos ſignare in fronte, ſub hoc enim Titulo Chriſtus vicit, & nos ipſius virtute ſub eodem Diabolum vincimus. Eſt etiam reuelatione traditum diuina, magnam huic ineſſe Titulo, ſi legatur, virtutem diuinam, multumque ipſum Diaboli frangere, depellereque virtutem, vbicumque homo ſe, Chriſto deuotus, hoc conſignauerit.*

Lanſperg. hom. 44. in Paſſ. Dom.

Quænam

## Quænam cæremoniæ Eccleſiæ reſpondeant Titulo Crucis. Cap. XXXVIII.

CVm ex Titulo Crucis duplicem ſtatam, ſolemnémque cęremoniam mutuata ſit Eccleſia, duplex ei viciſſim reddidit ornamẽtum. Vna eſt, quę die ſexto Paraſceue quotãnis in cultu Crucis adhibetur. Crucẽ .n. à Sacerdote patefactam, piè Chriſticolis venerantibus, tres antiphonas, *Popule meus*, &c. *Qui eduxi te*, &c. *Quid vltra debui*, &c. parum verbis, ſenſuque inter ſe diſſimiles, eò preſſis, & flebilibus modis concinunt Cantores, vt triplicem inſcriptionem Tituli Crucis, Hebraicam, Græcam, & Latinam Populo exprimant, & effingant. Id ſatis diligenter his elegãtibus verbis expoſuit Rupertus: *Tres iſtæ antiphonæ, Popule meus. Qui eduxi te. Quid*

Ruper. Ab. lib. 6. de diuin. offic.

*vltra*

*ultra debuit, quæ apportando Græcem decã-tantur, ſenſibus aut nihil differentes, verbis quoque, ac modulatione conſimiles, triplicem ſignificant ſcripturam tituli, ſenſumque eius conſonanti, qui ſuper caput Domini Hebraicè, Græcè, & Latinè deſcriptus eſt, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Nam quia ibi ſcriptum eſt Ieſus Nazarenus, hic per ſingulas antiphonas in fine ſubiicitur, Saluatori tua iuxta interpretationem eiuſdem nominis. Et quia verè eſt Rex Iudæorum, licet hoc illi negauerint, & Titulum quoque mutare voluerint, dicentes: Noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit Rex ſum Iudæorum, hoc in eiſdem antiphonis adſtruitur ob effectis. Verùm, & antiquum exponendo Regis officium, videlicet, quod eduxerit eos de Terra Aegypti, quod deduxerit per deſertum quadraginta annis, quod manna cibauerit, quòd in Terram ſatis bonam introduxerit.*

Verumenimuerò cum tres iſtæ antiphonæ à Cantoribus præcinuntur, reſpõdet Chorus Græcè Agios, Latinè Sanctus, non autem Hebraicè: non alio myſterio, niſi

niſi vt genti Hebræorum, quæ tenebris obcæcata ad iſta obduruit, nec vnquam Chriſtum Regem ſuum fateri voluit, quẽ Græci, & Latini fatentur; atque etiam profitentur, maximam incredulitatis notam inureret. Hęc omnia præclarè aduertit idem Rupertus. *Et quia cauſa hæc, Ieſus Nazarenus Rex Iudaeorum, tripliciter, vt dictum eſt, ſcripta eſt, ideſt Hebraicè, Græcè, & Latinè, ad ſingulas antiphonas, quibus in fine ſubijcitur Saluatori tuo, quod eſt in illo titulo Ieſus, Græcè, & Latinè, reſpondetur, &c. Sanctus Sanctus, quod eſt in eodem Titulo Nazarenus: Hebraicè verò non reſpondetur, videlicet, quia gens illa Regem ſuum adhuc negat, Titulumque illum auerſo corde maledicit, & deteſtatur.*

Idem ibid.

Alteram cæremoniã ex Titulo ſumpſit Eccleſia in idiomate, quo Miſſam facit. Quippequę tribus dumtaxat linguis, Hebraica, Græca, & Latina, ob triplicem inſcriptionem tituli, teſte Ianſenio, vtitur, qui loquens de Titulo Crucis, ait: *Vtitur, & ob id etiam latina Eccleſia inter*

Ianſen. cap. 143. concord. Euan.

*canendum, omnibus his tribus linguis, præſertim in officio Sacræ Miſſæ, quæ Dominicæ Paſſionis eſt realis repræſentatio. Nam ex hebrea lingua, habet Amen, Alleluia, Oſanna: ex Græca Kyrie eleiſon Chriſte eleiſon.* Ipſiſſima verba Ianſenij recitat Ludouicus Balleſtrerius. At verò, quia hæretici tum in huiuſmodi Sanctæ Eccleſiæ cæremonias, tum in alia Chriſtianæ fidei myſteria prauiter, & inſolenter inſultant, veniã ad argumenta, ex verbis Tituli Crucis deſumpta, quæ illorum inſcitiam, atque perfidiam apertiſſimè coarguant.

## Argumenta aduerſus hæreticos ex verbis tituli deprompta. Caput XXXIX.

VAria, firmiſſimaque argumenta ex Tituli ſcriptura doctiſs. viri ad hæreſes, & refellẽdas eruerũt. S. Hieronymus, nè quis ſuſpicari poſ-

poſſet Deum eſſe fœminei ſexus, cum ſpiritus in hebræo רוח *Ruahh* fœminino genere dicatur, ex tribus linguis, Hebraica, Græca, & Latina, quibus titulus fuit cōſcriptus, duxit argumentū, quo fidem faceret in Diuinitate nullum reperiri ſexum: nam vox ſpiritus, in hebræo רוח *Ruahh* fœminino genere legitur: in Græco verò πνεῦμα neutrò inuenitur: & in Latino maſculinum eſſe cernitur. Accipe Hieronymi verba: *Nemo autem in hac parte ſcandalizari debet, quòd dicatur apud Hebræos ſpiritus genere fœminino, cum noſtra lingua appelletur genere maſculino, & Græco ſermone, neutro: In Trinitate enim nullus eſt ſexus: & ideo in tribus principalibus linguis, quibus titulus Dominicæ ſcriptus eſt Paſſionis, tribus generibus appellatur, vt ſciamus nullius eſſe generis, quod diuerſum eſt.* Doctori maximo Hieronymo ſuccedat Epiſcopus, & Doctor egregius Auguſtinus, qui in altercatione, ad quam prouocarat Paſcentius Arianus, acutè, argutèque exemplo triplicis inſcri-

Hieron. cōment. in c. 40. Iſai.

Auguſt. ep. 178.

ptionis

ptionis tituli conuincit, rectè à Græcis Patribus, ad oſtendendam Diuinarum Perſonarum ſubſtantię ęqualitatem, gręcum verbum ὁμούσιον vſurpari; & ſi verbum huiuſmodi in ſacris literis minimè ſcriptum inueniatur: *Abſurdum igitur nō eſt, vt in Concilijs Patrum Græco verbo Patris, & Filij, & Spiritus sācti vna ſubſtātia firmaretur, cum ſuper Apoſtolos primitus Spiritus ſancti propria largitate linguarum varietas fundaretur: Audiuimus enim eos, ait Scriptura Actuum Apoſtolorum, loquentes varijs linguis magnalia Dei. Magnalia vtique non ſunt Deorum, ſed Dei, Græca lingua vnā ſubſtantiam credi Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Hebraicè igitur, Græcè, & Latinè ſuper Crucem Domini à Pilato fuit cauſa eius ſcripta, ſi licuit vt Græca lingua, vel imò permiſit ipſe Dominus, vt cauſa mortis eius eſſet ſcripta, cur abhorret, vt ſubſtantia eius, quæ Deus eſt æqualis cum Patre, Græco vocabulo approbetur oſtenſa? ſi minime licet Patris, & Spiritus ſancti vnam ſubſtantiam lingua exteri* Act. 2.

*Gra-*

*Græca: ergo nec Deũ laudari decet & barbara, ſicut .n. Græca lingua, quę eſt homuſiou, vna dicitur, vel creditur à fidelibus Trinitatis omnino ſubſtantia, ſic vna rogatur, vt miſereatur à cũctis Latinis, & Barbaris vnius Dei natura.* Quin Arrianorum hæreſim, quæ Chriſtum Filiũ Dei negabat, &t validè redarguit ſcriptura tituli, vti ingenioſe ratiocinatur Stanislaus Socolouius *Non ſcribitur autem cauſa eius, quia ſe Filium Dei fecit, hoc enim veriſſimum fuit, nec ea cauſa à Pilato damnatus eſt, ad quem ea res nihil pertinebat, ſed quia Regnum affectauit: quod ipſum tamen nunquam fecit. Quo igitur nomine tunc à Pilato abſolutus eſt, nunc ab Arrianis damnatur.* Idem paulo poſt ſubdit.: *Quomodo item Caiphas dixit, Filium Dei ſe fecit* (loquitur de Iudæis clamantibus, Noli ſcribere Rex Iudæorum, &c.) *Si igitur Arriana impietas hinc colligit Deum verum non fuiſſe, propterea quod Caiphas dixit eum Filium Dei ſe feciſſe, neget & Regem eſſe, neget & Prophetam cum hac turba, quæ ſimiliter dicit*

Stanisl. Socol. medit. 5

cum

Digitized by Google

eum Regem ſe feciſſe. Longè enim diſertius ſe Deum, Deique Filium, quàm Regem, aut Prophetam ſe eſſe profeſſus eſt. Huc faciunt verba Simeonis de Caſſia: *Moriebatur in Cruce Chriſtus, voluntati traditus Iudæorũ, nec ipſi ſatiabãtur, quin diffamare vellẽt per titulum. Hi verò colliguntur ex his, qui titulum hunc impugnabant, & cauſam, qui Chriſto Dei Filio æternam non tribuunt poteſtatem, & generationem à Patre, aut qui Filium Dei credunt tempore minoratum, aut in humana conuerſum; Necnon & illi, qui aſſumptũ hominem non credunt æterna, & Diuina Maieſtate, ſeu poteſtate potiri, nec Dei Filium credunt factum hominem, ſeu hominem Deum omnium Regum Regem, deſignantur & illi, qui omnia non placita dicunt iniuſta, etiam ſi iuſtitia irreprehenſibilis ex toto reſplendeat. Huius verò Pagani, ſeu Gentilis hominis firmitas (* Pilatũ intelligit *) ſubſequorum Chriſti arguit firmitatem, & nullis interceſſionibus, aut querelis permutetur, quod noſcitur vera ratione ſancitum.* Tum denique noſtri temporis

Sim. de Caſſia lib. 13.

O hæ-

hæreticos, qui in lingua vernacula diuina myſteria peragenda eſſe contendunt, Verba Tituli tribus tantùm linguis, Hebraica, Græca, & Latina conſcripti, maximoperè profligant, & catholicis, doctiſque viris in ipſos hæreticos inuehendi anſam præbent. Petrus Beſſæus, loquens de Titulo Crucis, inquit: *Fuit hoc quodammodo augurium, & præſagium, in alio illo incruento Miſſę Sacrificio trium harum linguarum vſum futurum. Quid igitur ad hæc dices, hæretice, quid tu Nouator, tu turbarũ auide, & omnis nouitatis ſtudioſe, qui omnia myſteria vulgari regionis lingua peragi, & tradi cupis? Perpendere hic te velim, & tecum cogitare, fuiſſe tunc temporis plurimos Hieroſolymis alienigenas, vt Cretas, & Arabes, alioſq; incognitos, qui nec Græcè, nec Latinè, nec Hebraicè noſſent; Pilatum tamen alias niſi tres has linguas vſurpare noluiſſe.*

Petr. Beſſ. in Concion. Theol.

Huc etiam facit Hylaretus: *Hinc eſt, quod Eccleſia omnibus his linguis in Miſſa vtitur, quod & in Crucifixi trophæum, & memoriam fiat. Quid ergo eſt, quod Hugno-* 

Hilaret. homil. 2. de Paſſ. Dom.

*ſtici*

ſtici vulgarem Gallicam, aut Germanicam obtrudant, cum illa myſteria niſi lingua Eccleſiæ vſitata pateſieri, non debeant, vel celebrari. Nunquid erant, & Hieroſolymis Cretes, & Arabes, aliȷque permulti, quibus nec Græca, nec Hebræa, nec Latina lingua in vſu erat? Ergo debuerat, & propter hos vnaquaque lingua Titulum deſcribere Pilatus. Verùm præcipuas aſſumpſit, è quibus cętera inſtrui poſſent à doctioribus: quantò magis in tremendis Miſſæ myſteriȷs. Hæc eadem fermè habet Beauxamis: poſt quę ſubdit: *Alioquin promiſcua omnium nationum adſtante turba, omnibus linguis loquēdum eſſet: id autem ſi fiat, aut infinitum abiret tempus, aut non omnes etiam omnia caperent. iſtæ verò ſunt præcipuè linguæ, ait Cyrillus, ſat nobis illarum vſus. Nec eos audiamus, qui obmurmurant ad inſtar iſtorū Iudæorum, dicūt iſti, Noli ſcribere, ſicut clamant Rabulæ hæretici; noli ea lingua myſteria diuina peragere: Verùm vt Pilatus ſcripturam, ita & nos Eccleſiæ traditionem contra eos confirmabimus.* Hoc idem ar- Tho. Beauxam. ſec. 10. de Paſſ. Dñi

Georg. Vuicel. commẽ. ſup. tex. Paſſ. Dom.
Ioa. Eckius Homil. de Paſſ. Chriſt.
Matth. Galen. c. 20. cõmen. de ſacrif. Miſſ.
Ludou. Balleſter. in Onomatog.
Caluin. apud Stapleton.

gumentum afferunt, & dilatant Georgius Vuicellius, Ioannes Echius, Matthæus Galenus, Ludouicus Balleſterius, & alij, quos breuitatis cauſa omitto. Cæterum è diuerſo canis Caluinus pulchram hic ſibi in catholicos oblatrandi occaſionem inueniſſe viſus eſt, cum carpit Romanam Eccleſiam, non permittentem, vernacula lingua ſacras Scripturas euulgari; cum tamen Pilatus homo reprobus, & alioquin Sathanæ organum, arcano tamen inſtinctu deſtinatus fuerit Euangelij præco, vt breuiter eius ſummam tribus linguis vulgaret. Porrò vanam hanc, futilemque Caluini rationem pluribus labefactauit oppugnator eius acerrimus Thomas Stapletonus: *Pilatus nonniſi in linguis doctis illum Titulum poſuit; Caluinus de lingua cuiusque vernacula, & barbara; Pilatus ſolum Titulum erexit, qui nomen, cauſam, & patriam Crucifixi deſignaret: Caluinus de tota Scriptura concludit. Pilatus præſentibus tantùm, nec ad vllam inſtructionem, ſed vel ad Iudæos irridendos, quorum pertinacia in-*

Thom. Staplet. in Antidot. Euangel. Ioa. 19.

*inſenſus erat, vel ad ipſius Chriſti contemptum, quaſi Regnum affectantem crucifixiſſet, talem Titulum erexit: Caluinus de toto Populo Chriſtiano concludit, cui hoc exemplo tota ad neceſſariam inſtructionem promiſcua legẽda permitti debeat.* Hæc ex Stapletonio delibauimus: cætera piguit perſcribere. Tu verò, candide Lector, eum adire poteris.

## An cultu latriæ venerandus ſit Titulus Crucis: & quæ ipſi preces adhibendæ.

### Caput XXXX.

MVltiplici, atque probabili ratione Titulo Crucis cultum latriç tribuendum eſſe, demonſtro. Primùm, eodem cultu, & honore

latriæ, quo Chriſtum dignamur, eius quoque imagines religioſiſſimè à nobis obſeruandæ ſunt. Quibuſcum eius nomina numeraueris, cum nomina ſint imagines rerum, vt docet Peripateticorum Princeps Ariſtoteles: Igitur Ieſus Nazarenus, & Rex Iudæorum, nomina propria Chriſti in Titulo ſcripta, eadem veneratione latriæ colere, quæ Chriſto tribuitur, operæpretium erit. Præterea ſanctæ Cruci cultus latriæ à Chriſticolis adhibendus eſt, non modo quia Chriſtus in illa pependit, verum etiam quia in illius Titulo ſcriptus, ad Helenæ exemplum, de qua Ambroſius: *Inuenit ergo Titulum, Regem adorauit, non lignum vtique, quia hic Gentilis eſt error, & vanitas impiorum, ſed adorauit illum, qui pependit in ligno, ſcriptus in Titulo.* Huc etiam reſpexit Ioannes Xiphilinus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum ait, Chriſtum in ſuperiori parte Crucis, cui Titulus inerat, adoratum eſſe ab Angelis: *Cæleſtia enim*, inquit, *in ſuperiore Crucis parte Dominum adorant.*

Ariſt. lib. 1. de interpr.

S. Ambroſ. orat. de obitu Theodoſij.

Ioa. Xiphil. orat. in Cruc. adorat.

Demum

Demnm Synodus generalis VII. & VIII. decernit Euangeliorum librum eſſe adorandum, quia ſacratiſſimas res nobis proproponit: Quid ergo prohibet, quin inſcriptionem Tituli, quæ auguſtum nomen Ieſu, ſanctiſſimumque monumentum illud, Ieſus Nazarenus, apertiſſimè prodit, ſanctè, & auguſtè, ſicut Euangelium ipſum veneremur? Quocirca ad eiuſmodi Tituli Crucis venerationem nonnullæ à religioſiſſimis viris adinuentæ ſunt preces, quas fidelium pietati conſulens, hic ſubſcribo. Synód. gener. 7. & 8.

Eſto prima precatio illa, de qua Ludolphus Chartuſienſis. *Ad conformandum ſe huic Titulo, qui illuſtris fuit ex intentione Iudæorum, attendat homo documentum, & ſic oret: Ieſu, qui Tituli triumphalis ſuperſcriptione luſoriè diffamari voluiſti; da mihi ſub eodem titulo tuo ſic ſtrenuè militare, vt tropheo tuo hoſtis perterritus, mihi non audeat propinquare.* Similem precationem profert Egbertus Spitoldius: *Hunc Titulum, benigniſſime Domine, digno* Ludolphus cap. 63. de Paſſ. Dom. Egbert. Spitold. in medit. in Paſſ. Dom. par. 2. medit. de Titul.

*tua diuina gratia ſcribere dignare in corde meo, vt ſemper memor Regni tui cogitem quid ſim, & quò ſpectem, quò aſſiduè firma fide fortis, ac imperterritus reſpiciam quocumque hoſtis miſeria, aut triſtitia me agitauerit.* Breuior eſt oratio deſcripta ab Eckio in hæc verba: *Et quamuis iniquus erat Pilatus, Titulus tamen iſte triumphat, vnde pia, & ſancta illa conſuetudo fluxit, vt quidam Crucis ſigno ſe conſignantes, ſic orent. Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum: Titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis. Sancte Deus, Sancte Fortis, Sancte & immortalis Deus miſerere nobis.* Lõgior autem omnibus eſt precatio illa Ioannis Iuſti Lanſpergij: *Dulciſſime Ieſu ſub Titulo, ſub hoc vexillo, fac merear ſemper inter tuos electos milites recenſeri. Nihil habet nobile vita mea, ſed ſordent omnia mea in conſpectu tuo. Porrò tua miſericordia mihi non ſordet: hanc concupiſco. hac me recenſeri, ſcribique cupio inter electos. Sub hoc Titulo Crucis Ieſu protege me, & libera me ab omni malo: Da, pie Ieſu, vt*

Ioan. EcKi. homil. de Paſſ. Dom.

Ioan. Iuſt. Lanſperg. to. 1. quinquagena 3. theoria 4.

*fidelis,*

*fidelis, fideliſſimuſque tibi ſeruiam vſque in finem, te ſolum, & gloriam tuam quærens. Amen.*

## Tempus inuentionis Tituli Crucis aſtruitur. Caput XLI.

VOlutanti animo mihi, & ſerio penſitanti quonam tempore repertus ſit Titulus Crucis, illud profectò in ipſo limine huius capitis obuium occurrit, per idem tẽpus inuentum eſſe Titulum ab Helena, quo repertum ab ea eſt lignum Crucis. Id quippe teſtantur Ambroſius, Socrates, Ruffinus, Sozomenus, Nicephorus, Ado Viennenſis, & ferè Scriptores omnes, qui inuentionem Tituli literis conſecrarunt. De inuenta autem Cruce, & Titulo duo quæri poſſunt à curioſo lectore. Primum erit ſub quonam Imperatore

S. Ambroſ. orat. de obitu Theodoſ. Socrat. lib. 1. Eccleſ. hiſtor. c. 13. Ruffin. lib. 1. Eccleſ. hiſtor. cap. 7. Sozom. lib. 2. cap. 1. Eccleſ. hiſt. Nicephor. lib. 8. c. 29. Ado Vienn. in Martyrolog.

vi;

videlicet ſub Conſtantio nè, an ſub eius filio Conſtantino. Alterum verò quo Imperij anno id contigerit. Et quoad priorem quidem quæſtionem exiſtimant nonnulli ſub Conſtantio patre Conſtantini Crucem inuentam eſſe. Ab hac mẽte eſt Regino Prumienſis. *Anno Dominicæ Incarnationis 244. Crux Dñi noſtri Ieſu Chriſti à Iuda inuenitur, ſed vt in geſtis Romanorum Pontificum, legimus ſub Conſtantio patre Conſtantini*. Hunc ſequitur Marianus Scotus, *Sub huius tempore*, inquiẽs, *inuenta eſt Crux Domini ſub Conſtantio, patre Conſtantini Magni, vt in geſtis Romanorũ Pontificalibus habetur*. Iſti maximo ducuntur errore, cum non tempore Cõſtantij, ſed Conſtantini Magni Crux ſit reperta. Ita Martyrologium Romanum, *quinto Nonas Maij Hieroſolymis Inuentio Sacroſanctæ Crucis Dominicæ ſub Conſtantino Imperatore*, Vſuardus: *Hieruſolymis Inuentio Sanctiſſimæ Crucis in Monte Caluariæ, ab Helena Regina ſub Conſtantino Principe, cuius & ipſa mater*

Regino Promien. lib. 1. Chronic.

Marianus Scot. lib. 2 Chron.

Vſuard. Ado, & Alex. Peregr. in Martyrologio.

ex-

*extitit*. Ado Viennenſis: *Hieroſolymis Inuẽtio Sanctiſs. Crucis ab Helena Regina ſub Conſtãtino Principe, cuius et ipſa extitit mater*. Alexander Peregrinus: *Hieroſolymis Inuentio Sanctæ Crucis ab Helena Regina*. Hæc eadem narrant Beda, Ithacius, Gotfridus Viterbiẽſis, Maurolicus, & alij.

Bed. in Martyrologio. Ithac. lib. 1. Chron. Gotfrid. Viterbienſis Chro. p. 16.

Quonam verò anno Cõſtantini Crux fuerit inuenta, ſumma inter hiſtoricos diſſenſio eſt. Multorum fert opinio id accidiſſe ſub Euſebio Papa, circa annum Conſtantini quartum. Ita Anaſtaſius in vita Euſebij: *Sub huius temporibus inuenta eſt Crux Domini noſtri Ieſu Chriſti quinto Nonas Maij, & baptizatus eſt Iuda qui & Cyriacus*. Cum Anaſtaſio conſentit eius abbreuiator Albo Floriacenſis. Ex his ſcripſit Platina: *Dum autem Euſebius in Pontificatu viueret Crux Domini inuenta eſt quinto Nonas Maij, & ab Helena Conſtantini Matre exornata, ac magna in veneratione habita*. Horum opinio vehementiſſimè etiam comprobari poſſe videtur

Anaſtaſ. bibliot. in vita Euſebij.

Albo Floriacen. in epitom. vit. Pontif. Anaſtaſij. Platin. in vit. Euſeb.

detur

detur literis tertijs Euſebij ad Epiſcopos Hetruriæ, & Campaniæ, ſignificantis gratulabundum in modum Helenæ pietate, & diligentia inuentam Chriſti Crucem, atque adèo præcipientis celebrari feſtum inuentionis Sanctæ Crucis, his verbis: *Crucis ergo Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ nuper, nobis gubernacula Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tenentibus, quinto Nonas Maÿ inuenta eſt, in prædicto Kalendarum die Inuentionis feſtum vobis ſolemniter celebrare mandamus*. De hac re ſcripſit Luitprandus in vita Euſebij: *Hic tres epiſtolas decretales fecit; & in illa, quam vniuerſis Epiſcopis per Campaniam, & Thuſciam conſtitutis ſcripſit, ſolemniter celebrari pręcepit feſtum Inuentionis S. Crucis, quæ ſuis temporibus, quinto Nonas Maÿ inuenta eſt*. Pari modo Martinus Polonus de Euſebio loquens: *Huius tempore*, inquit, *ſicut ipſe in epiſtola ſua ſcribit, inuenta eſt Sancta Crux Hieroſolymis, & ideo ipſe inſtituit Inuentionẽ S. Crucis ſolemniter celebrari*. At contra communiter alij in

Epiſt. 3. Euſeb. tom. 1. Concilior.

Luitprand. in vit. Euſeb.

Martin. Polon. lib. 4. Chron.

quorum

quorum ſententiam, vti veriorem, ego diſcedo, aſſerunt Helenam ſub Silueſtro *Papa* Crucem inueniſſe: idque argumento ex eadem epiſtola deprompto, quam pro ſe laudant Aduerſarij, oſtendam, æquis ponderibus illam examinando, nõ autem falſi redarguendo, vt Surius, & Binius eius aſſecla faciunt, & quod tradit de inuenta Cruce, inſertum fuiſſe imaginando. Nolo te lateat, cordate lector, Pontificales epiſtolas Græcè ſcriptas, nomen Pontificis, vt fit, vna prima litera, eaque maiuſcula ſignificaſſe. Quamobrem puto epiſtolam illam non ab Euſebio, ſed à Silueſtro fuiſſe conſcriptam. Etenim facile litera Σ in E; vel ſi minuſcula ibi extiterit, litera σ in ε, hoc eſt ſigma in epſilon migrare potuit. Eoque magis cum litera maiuſcula epſilon non diſſimilis fuerit, quandoque minuſculæ, niſi quod grandior, vt videre eſt in extypo tituli, quẽ typis excudi curauit Boſius: vbi figura epſilon maiuſculę, eſt huiuſmodi C, in quã facillimè commutari poteſt

Surius in notis marginalibus ep. 3. Euſeb. Seuerin. Binius in notis ad to. 1. Conciliorũ.

Boſius lib. 11. c. 1. Crucis triũphi.

litera

litera maiuſcula Σ. Tu, ſtudioſe lector, ad vetuſtos Codices manuſcriptos, vt quod ego haud vanè conijcio, comperias, & tuis ipſe oculis cernas. Hæc equidem haud ego inueriſimilia ſuſpicor, cum hæc eadem literarum commutatio induxit, vt arbitror, vetuſtum, & pereruditum ſcriptorem Beregoſium Abbatem, qui floruit circa annum Chriſti DC, vt in maximum raperetur errorem, quo teſtatũ reliquit, Syluestrum Binomium fuiſſe, & quoſdã eũ vocaſſe Syluestrum, quoſdam autem Euſebium: *Vnde proculdubio*, inquit iſte, *ſeipſum in nullo decipit, qui in hoc vno homine nomen vtrumque recipit: qui autem inde dubium aliquid in animo gerit, nodum in ſcirpo quærit. Cum enim vnuſquiſque Romanus Pontifex vsque adhuc habeat duo nomina, vnum videlicet ex alieno, & aliud ex ſuo, mirum non eſt, ſi idem vir, in Apoſtolatus gradum diuinæ pietatis promotus efficacia, vnum nomen ex natura, & aliud habeat ex gratia.*

Berengoſ. Abas lib. 2. de inuen. & laude Sanctæ Crucis cap. 7.

Præterea non conuenit Euſebij ætati.

Con-

Conſulatus Conſtantini, quo illa epiſtola conſignata eſt; & fruſtra, ac contra Codices M. S. aliqui ad marginem ſcribunt *Conſtantio Conſule*. Nam Euſebij Pontificatu, qui paulò pluſquam bienniū durauit, nullus extitit Conſul Conſtantinus, nullus Conſtantius. Annō autem Chriſti 326. & Conſtantini *21*. quo Helena inuenit Crucem, fuere Cōſtantinus ſeptimum, & Conſtantius Cæſar Coſſ. quo anno vertente, ſine controuerſia, Crucem inuentam fuiſſe, perſuadent grauiſſimi hiſtorici Alexander Monacus, Hermānus Contractus, Lucas Tudenſis, & nouiſſimè Petrus Opmeerus, qui ſcriptis commendarunt, Helenam, poſt Concilium Nicænum Hieroſolymam abijſſe, cum iā decrepitæ eſſet ætatis: Synodus enim Nicæna anno Conſtantini XX. & Chriſti CCCXXVI. teſte Card. Baronio, atque Gordonio, qui plura in hanc ſententiam diſputat, celebrata fuit, atque abſoluta. Cæterum id accidiſſe anno Conſtantini *XX*. ſub Syluestro Papa, apertè

Alex. Monach. de Inuen. Crucis. Herman. contract. in Chron. Luc. Tuden in Chron. Petr. Opmeer. in opere Chronograph.

Baron. to. 3. Annal. Gordon. in opere Chronol.

apertè tradunt Scriptores quamplurimi, Georgius Cedrenus, Cardinalis Baronius, Carolus Sigonius, Iacobus Gordonius, Chriſtianus Adrichomius, quorum loca exſcribere nolui, nè lectorem meũ tædio afficerem. Hac idonea occaſione plures, & immanes anachroniſmos de Inuentione Crucis quibuſdam Auctoribus poſſem obijcere: ſed ab his abſtineo cum breuitati, tum pietati conſulens.

Cedren. in compend. hiſtor. Baron. to. 3. annal. Sigon. de Occidentali Imper. lib. 3 Gordon. in opere Chronol. Chriſtian. Adrichom. n. 242 de-ſcript. Ieruſal.

## Prima Tituli inuentio, eiuſque translatio. Cap. XLII.

QVanquam vna, eademq; extiterit inuentio Tituli, & Crucis; verumtamen Helena tabellam Tituli procul à Cruce diſſiunctam reperit. Apertè, palamque id narrat Hermias Sozomenus: *Itaque vt primùm locum ille Imperatoris mandato fuit perpurgatus, in profundo, quadam in parte illius, antrum* *vnde*

Sozom. cap. 1. lib. 2. hiſtor. Eccleſ.

*unde Chriſtus reſurrexit, emerſit: in altera autē parte eiuſdē loci tres inuentę ſunt Cruces, deinde aliud lignicul ū ſeparatum, quod tabulæ geſſit ſimilitudinem, verbis, & literis non Hebraicis ſolum, verum etiam Græcis, & Latinis inſcriptum, quæ verba, ac literæ non aliud complectebantur, quam Ieſum Nazarenum Regem Iudæorum.* Planiſſimè verò Nicephorus Calliſtus: *Cæterum, quòd literæ diffluxerant, & tabula temerè iacta iacebat, difficilis adhuc Diuini Ligni Inuentio erat, quòd ordine confuſo Cruces diſiectæ fuerant.* Idipſum haud obſcurè innuit Ruffinus, cum ait: *Aderat quidem & Titulus ille, qui Græcis, & Latinis, atque Hebraices literis à Pilato fuerat conſcriptus, ſed nec ipſe ſatis euidēter Dominici prodebat ſigna patibuli.* Hæc eadem Ruffini verba tranſtulit in ſuum Martyrologium Adò Viennenſis. Imò verò frater Bernardinus Amicus Ordinis Minorum, locum Tituli inuenti, in Tract. de Locis Terræ Sanctæ, Italica lingua cōſcripto, deſignat his verbis: *Sancta Crux, vbi inuentam*

Niceph. Calliſt. lib. 8. c. 29.

Ruffin. Eccleſ. hiſtor. Lib. 1. c. 7.

Ado Vienen. in Martyrol.

Bernardin. Amic. tract. de locis Terræ ſanctæ.

*fuit lignum Tituli Crucis*. Certè iſti Auctores quid Helena de Titulo illo egerit, nihil memoriæ posteritati prodiderunt, Dubium tamen non eſt, fœminam, erga Crucem religioſiſſimam Titulum quoq; Crucis debito cultu affeciſſe. Significat id Ambroſius oratione de obitu Theodoſij: *Inuenit ergo Titulum, Regem adorauit, non lignum vtiq; quia hic Gentilis eſt error, & prauitas impiorum: ſed adorauit illũ, qui pependit in ligno ſcriptus in Titulo.* Quid tum inde? Helena poſt hæc Titulum, vnà cum parte Crucis, & clauis, Romam detulit, atque in Baſilica in ędibus Seſſorianis amplè, magnificèque extructa collocauit: de qua Sigonius, cũ inuentionem Tituli memoraſſet, hæc ſubiungit: *Quibus verbis magna pietatis huiũs peractis, ſequenti anno, Conſtantio Maximoque Conſulibus* (intelligit annum Chriſti cccxxxvij.) *Crucis parte, & Titulo, & clauis aſſumptis, deceſſit Romam. Ad Vrbem verò vt venit, honeſto Imperatoris, omniumque occurſu excepta, Sanctas*

S. Amborſ. orat. de obit. Theodoſ.

Sigon. lib. 3 de Occiden. Imper.

Do-

*Dominicæ Paſſionis reliquias obtulit, quæ à Pontifice, & Clero, ea, qua decuit reuerentia, ſunt recepta. In hac ſumptum ſuppeditante filio, magnificam Baſilicam in palatio inſtituit, atque ibi Sacri Ligni portionem, auro, gemmiſque incluſam, Titulumque ipſum Crucis, qui adhuc ſeruatur, dicauit: ea Baſilica Hieruſalem appellata, etiam ab ipſius nomine Helenianæ nomen inuenit, cũ ornamentis illuſtribus præcipuè à Conſtantino affecta.* Addidit porrò huic hiſtoriæ Chriſtianus Adrichomius, Helenam, præter tabellam Tituli partem Crucis, & Clauos, Coronam etiam, & Lanceam Romam attuliſſe. *His ita geſtis, Imperatrix Dominicam Crucem diuiſit, & partem quidem thecis argenteis incluſam pro monumento in dicta Eccleſia reliquit, partem verò, cum ſalutifero Crucis Titulo, Corona, Lancea, & Clauis filio ſuo Conſtantino attulit, quæ Romæ in Eccleſia Sanctæ Crucis in Hieruſalem ædificata in ædibus Seſſorianis fuerunt repoſita, vbi etiam pars Crucis Dominicæ, & Titulus Hebraicis, Græcis &*

Chriſt. Adrichom. num. 242. deſcript. Hieruſ.

*Latinis literis conſcriptus*. Hucuſque ſatis de Tituli translatione, atque prima eius inuentione. Nunc mihi accedendum eſt ad ſecundam.

## De ſecunda Tituli inuentione, deque hęreticorum calumnijs circa hanc redargutis. Cap. XLIII.

TItulus Crucis ab Helena Romam delatus, & ſuper abſide maiori Baſilicæ Sā ctę Crucis in Hieruſalem plumbea theca in parua feneſtra à Placido Valentiniano Imperatore ante mille annos recluſus, vt ſcribit Honufrius Panuinus, anno ſalutis *1492*. ſub Innocentio VIII. repertus eſt. Id fusè, latèque tradit antiquum Diariū rerum Romæ geſtarum, à Boſio, & Manno laudatum: quod tametſi barbarè, verè tamen perſcribit omnia, quæ in hu-

Panuin. lib. de ſept. Eccleſ. Vrb. cap. 5.

Diarium à Boſio cap. 25. lib. 1. Cruc. Triū-ph. atque à Mān. c. 19. ſelect. hiſto. citatum.

huiuſmodi Tituli inuentione cõtingerũt.
Itaque do eius verba: *Die prima menſis Februarij anni MVIIID. venerunt noua de partibus Africanis, dictumque fuit qualiter ex Hiſpania habuit victoriam de Granata, ipſamque cepit, & dominatus eſt, & eam fuiſſe captam pactis omnibus, & fœderibus: nã iãdiù ante oppreſſerat eam. Quibus autem pactionibus, non bene ſcitur. Eodem die miraculum in Vrbe fuit: nam cum Dominus Petrus Condiſaluus de Mendoza Cardinalis Sanctæ Crucis de ſua impenſa faceret incruſtare, & dealbare dictam Eccleſiam, quando operarij tetigerunt ſummitatem arcus exiſtentis in medio Eccleſiæ iuxta tectũ, vbi adhuc ſunt duæ paruæ colũnæ, ſentierunt ibi certum vacuum, cumque aperuiſſent, inuenerunt vnam paruam feneſtrã, in qua erat vna capſula plumbea duorum palmorum bene clauſa, & ſuper eam erat lapis quidam quadrangulus marmoreus, vbi erant ſculpta iſta litera, videlicet.* HIC EST VERAE TITVLVS CRVCIS. *In qua capſula reperta fuit quædam parua ta-*

*bula longitudinis vnius palmi cum dimidio, qua ab vno latere erat comeſa, & vetuſtate corroſa, ibique erant cauatæ, & deinde colore rubro tinctæ infraſcriptæ literę, ſiue verba: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum; ſed illud Iudæorum nõ erat perfectum, quia illud rum non niſi vſque ad r incluſiuè remanſerat, & illud um, ceciderat, vt dixi, quia erat tabula ab ea parte corroſa, & vetuſtate deficit. Et primus verſus erat hoc ſcriptum literis Latinis, ſecundus verò literis Græcis, & tertius literis Hebraicis. Ad quem locum quaſi tota Vrbs acceſſit: acceſſit & Papa Innocentius, etiam poſt triduum vidit eam, iuſſitque permanere in dicta capſula cum quadam lamina vitrea ſuper altare in feſtiuitate dictæ Eccleſiæ. Et eſt omnium æſtimatione illa tabula, quam Pilatus poſuit in Cruce ſuper Caput Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, poſita ibi per Sanctam Helenam Matrem Conſtantini, tempore, quo fuit dicta Eccleſia fabricata:* Dies verò huiuſmodi Inuentionis Titoli, quæ fuit prima Menſis Februarij, vt habes ex hoc

Diario,

Diario, cum in poſtremam Ianuarij Dominicam incidiſſet, Alexander VI. qui Innocentio ſucceſſit, tanti beneficij memor, Chriſticolis cunctis hac die Dominica vltima Ianuarij quot annis ad Templum Sanctæ Crucis in Hieruſalem confluentibus, Indulgentiam omnium peccatorum, quam vocant plenarjam, elargitus eſt. Quamobrem ab inſtituto meo non arbitror alienum, ſi verba bullæ Alexandri Papæ hic ſubijciam.

## Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei.

Vniuerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

A*Dmirabile Sacramentum viuificæ Crucis, cuius ſignum erit in Cęlo, dum Dominus ad iudicandum venerit, intra nostræ mentis arcana reuoluentes, & pia conſideratione penſantes, quod in ligno eiuſ-*

dem Sanctiſſimæ Crucis Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro humani generis ſalute mortem ſubire nõ abnuit, vt nos de morte ad vitam reuocaret; dignum imò potius debitũ reputamus, Eccleſias, & loca ſub ipſius Sanctiſſimæ Crucis nomine dedicata, & præſertim in Vrbe conſiſtentia, gratioſis indulgentiarum, & remiſſionum muneribus decorare, vt per hoc, & tanti Sacramenti iugis memoria in mentibus Chriſtifidelium permaneat, & ipſi Chriſtifideles, ipſius Domini gratia eos præueniente, felicitatis, præmia conſequi mereantur æterna. Cum itaque nuper, videlicet Anno à Natiuitate eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimoſecundo, vltima Dominica menſis Ianuarij, dũ bon. mem. Petrus Tit. S. Crucis in Hieruſalem Cardinalis, qui tunc in humanis agebat eandem Eccleſiam digno ornatu reparari faceret; in altiori pariete teſtudinis dictæ Eccleſiæ repertus fuerit Titulus Hebraicis, Græcis, & Latinis literis conſcriptus, & qui ſupra Caput ipſius Domini Noſtri Ieſu Chriſti,

dum

Digitized by Google

*dum in ligno eiuſdem S. Crucis pendebat, appoſitus extitit, & ipſe Titulus nunc in eadem Eccleſia debita cum veneratione obſeruetur, & cuſtodiatur.*

*Nos in Cruce huiuſmodi ſancta cum Apoſtolo gloriantes, & ſatagentes alios ad glorificationem ipſius inuitare, vt vitalis ligni pretio vitæ æternæ ſuffragia conſequantur: ac cupientes, vt Eccleſia prædicta, quæ nunc Titulus dilecti filij noſtri Bernardini eiuſdem Eccleſiæ ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyteri Cardinalis exiſtit, congruis frequentetur honoribus, & ipſi Chriſti fideles eo libentius deuotionis cauſa ad eandẽ Eccleſiam confluant, quo ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ vberius conſpexerint ſe refectos. De Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam ipsã in vltima Dominica menſis Ianuarij cuiuslibet anni, à primis veſperis vſq; ad occaſũ Solis ipſius Dominicæ deuotè viſitauerint,*

annua-

*annuatim omniū peccatorū ſuorū remiſſionē auctoritate Apoſtolica tenore præſentiū concedimus, & elargimur, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autē quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, eadem die per Nos conceſſa fuerit, præſentes literæ nullius ſint roboris, vel momenti. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto, quarto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno quarto. Signat. L. Maius. A tergo Volaterranus. Cum ſigillo plumbeo.*

Geneb. in Chron. ann. 1492. Volater. li. 22.

Genebrardus in Chron. quamuis doceat ſub id tempus Inuentionem Tituli accidiſſe, aſſerit tamen ex Volaterrano nedum Rum in Titulo diffluxiſſe, vt habes ex Auctore Diarij ſupra laudato, ſed etiam literas omnes nominis Iudæorum, tum & poſtremam nominis Rex, planè defeciſſe. Hæreticorū verò anteſignanus Ioannes Caluinus, ſemper ad calumniā

proiectus,

proiectus, aduerſus Tituli Crucis Inuẽtionẽ omne oppugnationis genus infert; quod propulſare debemús.

Principio poſtulat Caluinus quando, quomodo, & vbi Titulus Crucis ſit repertus. Cui Caluinianæ poſtulationi ſuperior Inuentionis Tituli narratio cumulatè ſatisfecit. At verò num à certamine ſe remouet Caluinus? Minimè quidem: quinimò noua contra hunc Titulum ſpicula vibrat, cum ait: *Nimis eleganter. & elaboratè exaratum eum, qui nunc oſtenditur, ac proinde commentitium eſſe Titulum; illum verũ obiter tantùm, & abſque cura, non tam ſcriptum, quam ſcalptũ fuiſſe Chriſto Cruci iam affixo.* Enimuero nullus eſt Auctor, præter vnum Caluinũ, qui verborum Tituli elegantiam dãnet; Eſt autem, qui huiuſmodi elegantiam in Tituli inſcriptione; Græca vel maximè, deſideret; Caluini, inquã, iuratus aſſecla Mornæus: *Quam* (de Inuentione Tituli loquitur) *ſola ipſa elementa eiurant, cũ pro* Ναζαραῖος *bimbaine legitur* Ναζαρενὸς *per e*

*& in*

Caluin. lib. de Reliquijs

Philip. Morneus in Myſterio iniquitatis, pag. 596.

*& in accuſandi quidē plurali.* Atqui litera Z, in Titulo Græco, & litera N tum Latinè, tum Græcè ſcripta, minimè inuerſæ ſunt, quemadmodũ alia Tituli elementa, quæ ordine retrogrado à dextera in ſiniſtrã efformata ſunt, vt videre eſt in ectypo Tituli à Boſio typis excuſo. Quo planũ fit (vt verba ipſius Caluini, tãquam pilam contra Caluinum remittam) hunc fuiſſe Titulum illum verum, obiter tantũ, & abſque cura, non tam ſcriptum, quàm ſcalptum Chriſto Cruci iam affixo. Nihilominus haud ceſſat à pugna Caluinus, ſed ex magnitudine tabellæ contra hunc Titulum acriora conijcit tela: *Nec tantæ magnitudinis*, inquiens, *quantę qui nunc aſſeruatur*. Tela iſta Caluiniana nullo negotio retundimus. Ipſa tabula Tituli grandiuſcula fuit, nam in ea grandiores characteres exarati erãt, vt à prætereuntibus perlegi poſſent. De quibus lib. 1. cap. 12. copioſè diſſeruimus. Ad extremum, totum linguæ gladium exerit Caluinus, Tabellam Tituli inſectatus, his verbis:

Boſius cap. 11. lib. 1. Crucis triũphantis.

verbis: *At duplicatus quoque eſt Crucis Titulus*, cum Romæ reperiatur in Tẽplo Sanctæ Crucis, & Tholoſani eundem ſe poſſidere prædicent. Verùm quid ais, hæretice, quid? gladio plumbeo Tabellã Tituli ſcindere fruſtra tẽtas. Nemo enim Catholicorum duplicatum Titulũ Crucis affirmat, quem vnicum fuiſſe, nemo ignorat. Age, Tabella Tituli in duobus locis reperitur, at non integra, ſed pars tantummodo: Romæ enim Titulum non eſſe integrum, affirmãt Auctores omnes, qui eius inuentionẽ literis, memoriæq; mandarunt. Nil igitur mirum, ſi altera pars Tituli ſit Romæ, altera verò, eaque minor, Tholoſæ. Reſponderem grauius contra tuas, Caluine, contumelias; niſi moderatione, modeſtiaque in dicendo maximopere oblectarer.

Vtrum

Digitized by Google

# Verum in die Iudicij intuentiũ oculis obijciẽdus ſit Titulus cũ Cruce. Cap. XLIV.

VExillũ Sanctiſſimæ Crucis ſub extremo Iudicio appariturum Redemptor noſter perſpicuis teſtificatus eſt verbis: *Tunc apparebit ſignum Filij hominis in Cælo, & tunc plangent omnes Tribus Terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli.* An verò cum Cruce per id temporis appariturus ſit Titulus, non ita patet, aut æquè promptum eſt. In affirmantem verò ſententiam propẽdet quodammodo Thomas Vvaldenſis, aſſeueráns Crucem, omnibus eius particulis, quæ vltro, citroque ſunt diſperſæ, in ſe compactis, & collectis, in die iudicij reformandam, in cæliſque leuandam, & coram Chriſto ad iudicium deferendam. Id expreſſius indi-

Matth. 24.

Tho. Vvalden. to. 3. de ſacr. tit. 20. cap. 158.

Digitized by Google

indicare videtur ex noſtratibus Theologorum omnium facilè Princeps Thomas Aquinas, cum doceat propter Crucem alia quoque Paſſionis inſtrumenta eſſe tunc temporis appaſitura; *Inde etiam eſt*, inquit, *quod veniente Domino ad Iudiciũ, ſignum Crucis, & alia Paſſionis indicia demonſtrabuntur; ſecundum illud Matthæi 24. Et tunc apparebit ſignum Filij hominis in Cælo, vt impij videntes in quem confixerunt, doleant, & crucientur: & hi, qui redempti ſunt, gaudeant de gloria Redemptoris.* Hanc Tituli apparitionem prædixerat ab hinc annos plurimos Regius Propheta Pſ. 57. *In finem nè diſperdas Dauid in Tituli inſcriptionem.* Ad hæc ita præclarè Auguſtinus: *Ecce venit, corrigimini antequam veniat, præuenite faciem eius in confeſſione: Ecce veniet Rex noſter, recordamini Titulum ſuper Crucem, ſi non eum videtis ſcriptum, manet tamen: in terra non legitur, ſed in Cælo ſeruatur. Putatis enim illam inſcriptionem fuiſſe corruptam? Et quod ait Titulus Pſalmi huius. In finem,*

S.Th. opuſ. 2.cap. 244.

Pſal. 57.

Auguſt. in eundem Pſ.

*Nè*

*Nè diſperdas Dauid in Tituli inſcriptionẽ. Non ergo corrumpitur illa inſcriptio Tituli.* Hactenus Auguſtinus. Atque hactenus ego de Titulo Crucis, cuius memoratu digna, vt viris in Sacram Hiſtoriam præclara voluntate incenſis conſulerem cura, ſtudioque collegi, & omnia Sacroſanctæ Romanę Eccleſiæ iudicio corrigẽda ſubijcio.

Laus Deo, & intemeratæ Virgini Deiparæ.

Digitized by Google

# INDEX AVTHORVM.


A

Albo Floriacenſis
Albertus Patauinus.
Ado Viennenſis.
Alexander Monachus.
Alexander Papa.
Alexander Peregrinus.
Alexander ab Alexādro.
Albertus Magnus.
Athanaſius.
Aloyſius Alcaſar.
Alphonſus Orozcus.
Alphonſus Paleotus.
Alphonſus Salmeron.
Alphonſus Villega.
Aluarez.
Ammianus.
Anaſtaſius Bibliothecarius.
Andreas Placus.
Angelus Caninius.
Angelus Rocca.
S. Ambroſius.
S. Anſelmus.
Antonius Agellius.
Antonius Languier.
S. Antoninus Florent. Archiep.
Apollinaris.
Apuleius.
Ariſtoteles.
Armacanus.
Arnoldus Carnotenſis.
Auctor Diarij.
Auctor Hortuli Reginæ.
Auendagnus.
S. Auguſtinus.
Auguſtinus Mannus.
Auratus.

B.

Bartholomæus Angles.
Baronius.
Barradas.
Beda.
Bellarminus.
Berengoſius.
Bernardinus Amicus.
Biliander.
Bonauentura à Caciuola.

C

Caietanus.
Calliſtratus.


Q Caliſtus

Calliſtus Placentinus.
Caluinus.
Capitolinus.
Caſſiodorus.
Cedrenus.
Cicero.
S.Cyrillus.
S.Chryſoſtomus.
Chriſtianus Adricomius.
Chryſtopharus Fonſeca.
Claudius Guilliaudius.
S. Cyrillus Hieroſolymitanus.
Concilia.
Cornelius Crocus.
Cornelius Ianſenius.
S. Cyprianus.

D

DAmaſcenus.
Daniel Mallonius.
Dauid Kimchi.
Didacus Stella.
Diodorus Siculus.
Dionyſius Chartuſianus.
Dionyſius Halicarnaſſæus.
Dux Alcalenſis.

E

EGbertus Spitoldius.
Emanuel Sà.
Epiphanius.
Eraſmus
Euſebius Cæſarienſis.
Euthimius.

F

FEſtus.
Feu-ardentius.
Flodoardus.
Franciſcus Coſterus.
Franciſcus Maria Vaillardus.
Fridericus Nauſea.

G

GAgneius.
Galatinus.
Genebrardus.
Georgius Venetus.
Georgius Vuicelius.
Gerſon.
Gloſſa Interlinearis.
Gordonus.
Gotfridus.
Guido Fabritius Boderianus.
Guillelmus Durandus.
Galatinus.

Hector

Digitized by Google

H

Hector Pintus.
Helias Thesbites.
Hermia Sozomenus.
Hermannus Contractus.
S. Hieronymus.
Hieronymus Natalis.
S. Hilarius.
Hilaretus.
Horatius.
Hugo Cardinalis.
Hugo de Prato Florido.
Hugo Victoriuos.

I

Iacobus Cuiacius.
Iacobus Gretſerus.
Iacobus à Voragine.
Iacobus Gualterius.
Incertus apud Bedam.
Innocentius Papa.
Ioannes Arboreus.
Ioachimus Perionius.
Ioannes Baptiſta Platina.
Ioannes Boſius.
Ioannes Baptiſta à Porta
Ioannes Chartagena.
Ioannes Eckius.
Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus.
Ioannes Haie.
Ioannes de Ianua.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Oſorius.
Ioannes Pineda.
Ioannes Suarez.
Ioannes Raulinus.
Ioannes Xiphilinus.
Iodochus Lorichius.
Ioſeph Hebræus.
Irenæus.
Ioſeph Scaliger.
Iſidorus.
Iuſtus Lanſpergius.
S. Iuſtinus Martyr.
Iuuenalis.
Iuſtus Lipſius.

L

Lactantius.
Leo Caſtrius.
Luit-prandus.
Lilius Giraldus.
Liuius.
Lucas Brugenſis.
Lucas Tudenſis.
Ludolphus.
Lodouicus Balleſter.
Ludouicus Bloſius.

Q 2 Marcus

Digitized by Google

M

Marcus Marulus.
Marianus Scotus.
Martialis.
Martinenghus.
Martinus Delrius.
Martinus Polonus.
Matthæus Galenus.
Matthæus Brēdebachius.
Maurolicus.
Minor apud Mallonium.
Michael Ghislerius.
Modeſtinus.

N

Nicephorus.
Nicolaus Gorram.
Nicolaus de Lira.
Nicolaus Trigautius.
Nonnus.

O

Oleaſtrius.
Origenes.
Ouidius.

P

Pamelius.
Pagninus.
S.Paſchaſius.
Paulus Diaconus.
Paulus Iureconſultus.
Paulus Vuan.
Paulus Sempronienſis.
Pauſanius.
Perſius.
Petrus ad Boues.
Petrus *Beſſæus*.
Petrus Comeſtor.
Petrus Opmeerus.
S. Petrus Mauritius Cluniacenſis.
Petrus Paludanus.
Philippus Mornæus.
Pindarus.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Pollux.
Propertius.
Prudentius.

R

Rabbi Salomo.
Regino *Prumienſis*.
Ribera.
Richardus.
Robertus Caracciolus.
Rodriquez Iepez.
Ruffinus.
Rupertus.

Salianus.

S

Salianus.
Seneca.
Seuerinus Binius.
Sigonius.
Simon de Caſſia.
Socrates.
Statius.
Stanislaus Socolouius.
Suidas.
Suetonius Tranquillus.
Surius.
Sylneſter de Priero.
Synodus Generalis.
Sixtus Senenſis.

T

Tertullianus.
Titelmanus.
Theodorus Studita.
Theodoretus.
Theophylactus.
Theophylus Alexandrinus.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Ocexaũnis.
Thomas Valdenſis.
Thomas de Ieſu.
Thomas Stapletonius.
Tullius Chriſopoldus.
B. Thomas à Villanoua.
Toletus.
Torniellus.

V

Valerius Probus.
Valerius Maximus.
Varro.
Varablus.
Victor Antiochenus.
Viegas.
Villalpandus.
Vincentius Bellouacenſis.
Virgilius.
Volaterranus.
Vſuardus.
Vulcatius.
Vulpianus.



Digitized by Google

# INDEX RERVM,
## Et Verborum.


A

ADamus ſcientiarum omnium parens. pag. 155
Abſalonis titulus. 43
Æthiopes lingua vtuntur Hebraica præſertim in miſſa. 141
Alexandri Sexti Bulla. pag. 229
Album pretorium, & album iudicum quid. pag. 42
Aleph Syriacè Eleph bouem ſignificat, & cur? pag. 52
Amaritudines pro titulis. 22
Angelus prænuntiauit Mariæ titulũ Crucis. pag. 13. & 14
Angelus per Pilati linguam locutus. 17
Annibalis titulus. 148
Antiphona, quæ canitur ab Eccleſia, & exprimunt titulum Crucis. pag. 201
Arrianorum hæreſis verbis tituli profligata. pag. 106
Attalus Martyr circumactus cum tabella tituli. 17
Aſtrologia à quo inuenta. 154
Authoris theſauri Theologici error notatus. pag. 6

B

BEroſcim eum abietes, tum buxum ſignat. pag. 36
Bos animalium princeps ob vtilitatem. 53
Βυςροφηδὸς ſcriptionis genus, quod boues imitatur. 53
Buxeæ tabulæ cera obductæ. 39


Buxus

Buxus arbor ſemper virens. 36
Buxus materia tituli Crucis. 35

C

CAdmus inuenit phœnicam literas. 154
Cœna pura latinè ſexta ſabbathi appellata. 146
Calumnus expugnatus. pag. 210
Caluiniana calumnia aduerſum titulum Crucis exploſa. 233
Caput Chriſti nullum habuit lignum, in quo quieſceret. 67
Cauilla lignum appoſitũ Cruci ad ſuſtinendum titulum 65. & 66
Cauſa pro titulo. 9
Cerei pugillares. 39
Cera tituli coloris albi. pag. 41
Characterum Hebraicorum quis inuentor. pag. 154
Chatſagermen, & eſſe deſignat. 118
Chriſtus ſine titulo traductus. 18
Chriſtus eodem die, quo cõceptus in Nazareth inſcribitur Nazarenus in Cruce. 133
Chriſti ſapientia verbis tituli notata. 161
Chi litera Crucis figurã exprimit. 70
Cinnabari ad ſcriptionẽ inuenta. 48
Citrea materia ſcriptionis. 34
Clauis tabella tituli infixa. 60
Claui tituli Crucis conſecrati. 60
Color albus Deo decorus. pag. 42
Color literarum tituli ruber. 48
Columna στήλη appellata haud quadrangula. 43
Conſtantini tempore Titulus inuentus. 216
Corona Chriſti efficitur Pater ob tituli inſcriptionem. 194



Digitized by Google

Cruci affigendi cum tabella tituli traducti. pag. 17
Crux Chriſti ſedes Dauid. 14
Crux ex tribus lateribus compoſita. 63
Crux Chriſti ad modum furcæ bicornis. 72
Cruces latronum titulis inſignitæ. 76
Cruces latronum nullum habuerunt titulũ. 78
Crux ob tituli ſcripturã cultu latriæ venerata. pag. 212
Cultu latriæ adorandus Crucis titulus. 211

D

DÆmones perhorreſcunt Titulum Crucis. 198
Damnatis tituli antecedebant damnationis cauſam indicantes. 16
Dauid apertè prophetauit de titulo Crucis. pag. 12
Diabolus Titulo Crucis expugnatus. 199
Die primâ mẽſis Februarij titulus inuẽtus. 228
Diagoræ nomen pluries inciſum. 147
Diuino conſilio ſcribitur titulus à Pilato. 164
Dux Alcalẽſis laudatus. pag. 89

E

EBur ſcriptionis materies. 35
Eccleſia inurit Hebræis incredelitatis notam. pag. 202
Eccleſia vtitur tribus linguis ob triplicem tituli ſcripturã. 202
Edicta grãdioribus characteribus exarata. pag. 45
Elogia pro titulis. 9
Encauſtum ſolis Imperatoribus ad ſcriptionem vſitatum. 48
Epiſtola in codicillis ex ligno dolatis. 34
Etymologia vocis tituli. pag. 1
Eſther, & Suſanna Hebraicè

Digitized by Google

braicè eundem numerum concipiunt. 191
Euangelia ſunt adoranda. 213
Euangelia tribus conſtãt linguis, quibus titulus deſcriptus. 159
Euangeliſtæ quandoquè ſenſum exprimunt nõ verba. 113
Euſebij tempore titulus minimè inuentus. 228
Euſebius pro Syluestro pag. 218. & 220
Ezechiel prædixit titulum Crucis. 13

F

FOlia oleæ ſcriptionis materia. 38
Firmitas Chriſtiana ex titulo figurata. 207
Formulæ precum ante Crucis Titulum fundendæ. 213 & 214
Fundamenta templi Victoris Antiocheni tempore extabant. 91

G

GEntiles impoſuerunt titulum Cruci. 58
Gordiani titulus pluribus linguis cõſcriptus à militibus. 148
Graphium ferreum prohibitum. 38
Græca inſcriptio, quibus reſpondeat annis. 193
Græca lingua in quinq; dialectos tributa.
Græci Latinas voces interdum vſurpant. 7

H

HAbacuc pro inſcribere. 11. & 12
Hakak pro inſcribere: pag. 10
Hebræorum moris fuit inſcribere titulos dãnatis. 22
Hebræi ordine retrogrado à dextera ad ſiniſtram ſcribunt. 51
Hebræi litteras olim more noſtro à ſiniſtra in dexterã ducebant. 51
Hebræi literas inchoant à latere læuo in dexterum, & ſi literarum adiunctionem ducunt

à dextero in ſiniſtrũ. pag. 59
Hebraica lingua ſcriptus titulus. 82
Hebræi duas detraxerũt literas ex nomine Ieſu pag. 124
Hebræi idem nomen Hebraicè, Græcè, & Latinè proferunt. 148
Hebraica lingua omniũ prima. 152
Hebraica lingua prima in titulo, quia Chriſtus Hebræus. 156
He notificatiuũ Hebræis pro hic eſt, & certam deſignat perſonã. 116
Helena titulum Romam detulit. 224
Heleniana baſilica quæ? pag. 225
Hieronymi argumentum ex triplici tituli inſcriptione. 204
Horæ canonicæ tribus tantum linguis recitari poſſunt. 160
Honan, & Hona quid. pag. 113

I

IAcob manus permutãs figura Crucis. 78
Iaſciangh ſaluare radix nominis Ieſu. 121
Ieſu nomen quandoque appellatiuum. 117
Ieſu nomen triliterum Rabbinis. 120
Ieſu nomen aſſumit litteram gutturalẽ Ngain. pag. 120
Ieſu nomen an aſſumat omnes literas nominis Iehoua. 121
Ieſu nomen pentagrammaton Bellarmino, & alijs. 122
Ieſu nomen fuit tetagrãmaton. 122
Ieſu nomen hexagrammaton Riberæ. 124
Ieſus ſonat. Tu ipſa omnis. 139
Innocentius Papa inuiſit Titulum. 228
Indulgentia plenaria titulum Crucis viſitantibus conceditur. 229

In-

*Inſcriptio Hebraica continet numerorum myſteria.* 193
*Inſcriptiones tituli Crucis ordine retrogrado exarata.* 54
*Inſcribere potius, quàm ſuperſcribere dicitur à Latinis.* 9
*Intitulare quid.* 8
*Integer titulus an triplici lingua deſcriptus.* pag. 85
*Integra tituli inſcriptio quae.* 8. 9. & ſeq.
*Intellectus hominis, vt titulus tribus conſcribendus linguis.* 158
*Iſaias inſcriptionem tituli prædixit.* 11
*Ioannes Euangeliſta ab Eraſmi calumnia vendicatus.* 7
*Ioſeph Scaliger notatus.* pag. 152
*Iudicij die titulus cum Cruce apparebit.* 236
*Iudæi idē ac confitentes.* pag. 136
*Iudæi idem ac reges in titulo.* 137
*Iudæi flagitarunt titulum Crucis.* 167
*Iudæi inuident Christi titulo.* 175
*Iudæi ſtatim poſt affixionem petierunt mutationem tituli.* 178
*Iudex ſemel officio functus nequit mutare ſententiam.* 183
*Iugum exprimit Crucem.* pag. 169

K

*KAthau Hebraicè, Kethau Chaldaicè, & Syriacè ſcribere ſignat.* 10

L

*LAtro legens titulum conuertitur.* 195
*Lamina aurea ſummi Sacerdotis Crucis Titulum exprimebat.* 185
*Legum tituli rubris litteris ſcripti.* 46
*Lignum tranſuerſum Crucis fuit forma obli-*

obliqua, & ſemicirculi. 66
Lignum in quo ſerpens appenſus bicorne: 72
Lingua eadem Hebrais, ac Aramais. 14
Lingua Hebraica proxima Africana. 140
Lingua Latina quatuor. pag. 144
Lingua Latina ultima in titulo. 150
Lingua ſacrata in titulo. 157
Literæ à litura. 40
Literæ tituli unciales. pag. 44
Literæ tituli primùm ſtylo inciſæ, deinde calamo rubro colore depictæ. 48
Literæ tituli ſub Conſtantino Imperatore vix percipi poterant. 50
Literæ olim unius verſus à dextera in ſiniſtrã, alterius à ſiniſtra in dexteram ductæ. pag. 51. & 52
Literæ tituli ordine retrogradò ſcriptæ. 53
Litera T refert Crucem. pag. 63
Litera Tſade per ζ à Græcis, & per Z à Latinis quandoque expreſſa. pag. 133
Litera Hebræorum omnium prima. 152
Litera Tau figura tituli Crucis. 189
Literæ tituli Latinæ, quos annos ſignent. 192
Longitudo Tituli Crucis ſeſquipedalis. 44
Luahh de tabulis buxeis pag. 36
Luahh pro cauſa. 10

M

Mamlacha legem, & Regnum ſignat. pag. 135
Mammona vox nedum Hebraica, ſed Africana. 140
Matſeuo, ſeu Matſeueth idem ac titulus. 10

Ma-

Digitized by Google

Materia tituli Crucis oleagina. 37
Mediterraneæ gentes in palato ſermonem feriunt. 145
Meridionales linguâ Græca vtuntur. 142
Meſſias nomen punicum, & Hebraicum. 14
Minium, & miltum in ſcribendo adhibita. 47
Monumẽtum Abſalonis figura tituli. 186
Mundus concuſſus propter inſcriptionem tituli. 194

## N

Nazarenus per his eſt exprimitur. pag. 118
Nazarenus à Nazareth. pag. 128 & 130
Nazarenus, vt lilium inter ſpinas in Cruce. pag. 132
Nazarenus non per Zain ſed per Tſade ſcribebatur. 127
Nazareth florem ſignat. 129
Netſer germinare pro eſſe vſurpatum. 118
Nghelleta pro cauſa apud Syros. 10
Nobilitas Chriſti ex titulo. 161
Nomina imagines rerum. pag. 212
Nomen Pontificis prima litera ſignificatum. pag. 219
Notæ characterum grãdiorum. 45
Numerus VII. millia Chriſtianos ſignificat. pag. 193
Numeri loco literarum pag. 191

## O

Occidentales verba in dentibus frangunt. 145
Oriens vtitur lingua Hebraica; Occidens Latina. 142
Orientales in gutture, & lingua verba collidũt. pag. 145

Pa-

# P

Pagninus vendicatus. pag. 133
Paſſio Chriſti ſanctificauit omnia. 162
Pauli epiſtolæ tribus tituli linguis conſcriptæ pag. 159
Peccata in hominis conſcientia tanquam dãnationis tituli deſcripta. 23
Peccatorum literæ in hominis pectore, velut ſtylo ſculptæ.
Peccata ſunt peccatoris iugum, & tabula tituli collo eius appoſita. 25
Penicillo literæ tituli pictæ. 49
Penicillum loco calami apud Sinenſes. 49
Φ Phi litera quomodo referat Crucem. 68
Pilatus an ſententiam in Chriſtum protulerit. pag. 28
Pilatus an manu propria titulum ſcripſerit. 55
Pilatus dictauit ſcripturam tituli. 58
Pilatus linguæ Latinæ nullam adhibuit curam. 151
Pilatus quam dedit pœnam ob tituli ſcripturam. 165
Pilatus Tituli ſcriptura vlutionem parat Iudæis. 165
Pilatus an ob tituli ſcripturam Apoſtolus, & Propheta vocatus. pag. 169
Peccat Pilatus ſcribens titulum. 17
Pilatus mortem ſibi conſciuit propter titulũ. pag. 172
Pilatus ad montem Caluariæ cũ Iudæis perrexit. 179
Pilatus à ſpiritu ſancto doctus voluit mutare titulum. 18
Pilatus notat Iudæos infamia. 18

Pila-

Pilatus ſimilis Magis in ſcriptura tituli. 186
Poteſtas Chriſti ex titulo. 162
Præco damnatorum elogia pronunciabat. 19
Præco vox legis, & iudicis. 20
Præco lictores in ſupplicijs lege agere iubebat. pag. 20
Præcones præierũt Chriſto ad ſupplicium ducto. 21
Prætitulare quid. 8
Pugillarium forma quãdoque quadrata, quãdoque trigona. 42

R

Religio Chriſtiana in titulo ſignata. pag. 161
Reges apud Medos nequeunt mutare ſententiam. 183
Rex Iudæorum in titulo an eodem modo triplici deſcriptus lingua. pag. 87
Regnum Iudæorum iure originis pertinebat ad Chriſtum. 135
Reges paſtores vocati. pag. 137. & 138
Rex pro Medico. 139
Reſciam Chaldaicè idem ac inſcribere. 10
Robertus Caracciolus laudatus. 101
Romani ſontibus damnationis cauſam inſcribebant. 26

S

Sacræ Scripturæ tribus linguis inſignita. 159
Salomonis orantis manus extenſæ Crucifixum repræſentabant. pag. 115
SciaKad idem ac vigilauit. 25
Scribere verbum forenſe. 22
Scriptor Tituli an Gentilis. 57
Sententiarum formulæ, quibus Pilatus Chriſtum

Eliu ad diuerſa ſuppli-
cia damnauit. 29
Sententia, qua Chriſtus damnatur ad Crucem vbi reperta? 30
Sententia, veluti titulus affixa Crucibus Martyrum Iapponenſium. pag. 29.
Sepulchrorum tituli rubro colore conſcripti. pag. 47
Sexta Sabbathi paraſceue dicta ab Hebræis, & cur. 146
Sigma in Epſilon facilè migrat. 219
Sion locus ouium. 138
Sion titulum deſignat. pag. 10
Spina quotannis die paraſceues florebat Rhodi. 131
Stella Magorum Symbolum tituli. 187
Stylus duplex ferreus, & oſſeus. 32
Stylus ferreus antiquior. pag. 32
Stylo oſſeo documenta 3
Zenonis in tegulam excepta. 33
Stylus altera parte acutus, altera obtuſus, & cur. 41
Sub Syluestro tituli inuentio. 22
Superſcribere vox Latina. 9
Syluester Binomijs. 220
Synopſis materia characterum. 48
Syriaca lingua titulus conſcriptus. 81
Syriaca lingua tempore Chriſti haud Iudæis in vſu ſed Hebraica. pag. 84

T

Tabella Tituli, ſine vllo ligno ſuper brachia Crucis apponitur. 67
Tabella Tituli an funibus alligata. 60
Tabella Tituli quadrata. 42

Ta-

Tabellæ iudiciariæ erant ceratæ. 41
Tabula Tituli fuit longitudinis unius palmi cum dimidio. 44
Tabulæ ceratæ apud Hebræos. 40
Tabula legis figura Tituli Crucis. 184
Tamrurim tum amaritudines, tum Titulos ſignificat. 22
Tau habuit olim figurã literæ Græcanicæ Chi. 71
Targum Syriacè Targama tum tranſlationem eum inſcriptionem ſignificat. 10. & 11
Theta figura in frõtibus damnatorum olim impreſſa. 5
Tilia lignum ſcriptionis materia. 34
Thomæ Aquinatis locus correctus. 94
Titulus à tuendo, id eſt defendendo. 1
Tituli milites quaſi tutuli. 2
Titulus à tuendo, id eſt conſpiciendo. 2
Titulus à Græco verbo Titan, quod eſt radius. 3
Titulus veluti Sol. 3
Titulus à vindicta. 4
Titulus pro cauſa apud Latinos. 4
Titulus quaſi thetulus à Theta. 5
Titulus vox Latina, non Græca. 6
Titulare quid. 8
Tituli immutabilitas à Dauide prædicta. pag. 14
Titulus Crucis Chriſti iuxtà Romanorum, & Hebræorum conſuetudinem inſcriptus. pag. 26. & 27
Titulus loco ſententiæ à Pilato exaratus. 29
Titulus calamo in charta exaratus. 31
Titulus ferro nõ calamo inſculptus. 31. & 32
Titulus Chriſti trophæũ. p. 32.

Titulus ſtylo inſcriptus. pag. 32
Tituli litera ferro inſculpta. 35
Tituli Crucibus latronũ affixi an pluribus linguis ſcripti. 78
Titulus integrè fuit triplici lingua ſcriptus. pag. 86
Titulus Crucis in fronte defuncti aureis literis deſignatus. 101
Tituli externa lingua deſcripti. 147
Titulus Crucis cur pluribus linguis conſcriptus. 148
Titulus ad Chriſti irriſionem ſcriptus. 166
Titulus Chriſti Iudæorum dedecus. 174
Titulus eodem tempore inuenitus, quo Crux. pag. 115
Titulus procul à Cruce repertus. 222
Titulus in Baſilica S. Crucis Romæ repoſitus. 226
Tituli Crucis materia è quercu. 38
Tituli Crucis verba non in ipſo ligno Crucis deſcripta. 38
Tituli cur rubrica appellati. 46
Tituli pictura expreſſi. pag. 45
Tituli litera rubri coloris inuenta ſub Innocentio. 39
Titulus ſcriptus iubente Pilato. 56
Tituli ſcriptor Iudæus. pag. 56
Tituli affixio præceſſit veſtimentorum partitionem. 59
Titulus ſublime ſuper caput Chriſti poſitus. pag. 61
Titulus infixus alteram Crucem ſuper Crucem Chriſti exhibet. 66
Titulus plumbea theca recluſus. 226
Titulus obiter ſcriptus. pag. 234

Tri-

*Tribus clauis Titulus affixus.* 61
*Tres pſalmi notant triplicem Tituli inſcriptionem fore immutabilem.* 15. & 16
*Tres linguæ ex Latina deriuatæ.*
*Tres Eccleſia à tribus linguis Tituli præſignificatæ.* 163
*Tutulus quid.* 1. & 2
*Tutulus ornamentum capitis ex vitta purpura.* 47
*Tutela nauis inſigne.* 2

V

*V Ariantia Euangeliſtarum verba inter ſe conciliata.* 112

*V litera furcam repreſentat.* 72
*Vernaculam linguam in Miſſæ ſacrificio dãnant verba Tituli.* pag. 107. & 108
*Verſus dicitur à terra quæ aratur.* 52
*Vltimus locus primus olim.* 150
*Vnguis pro ſtylo à Scriptoribus adhibitu.* 24
*Vnus Sriptor Tituli.* 67
*Vultus hominis Crucis Titulum repræſentat.* 190

Z

*Z Eiſte Derum fixum Cruci præſignat.* pag. 1

**F I N I S.**

P F.



MEN-

| Menda. | | Correcta. |
|---|---|---|
| Tituli | 13. | Titulo. |
| Dione | 17. | Dio. |
| Viderãt | 18. | Viderunt |
| Itaũ dictũ eſt. | 19. | Ita dictum eſt. |
| Tilulũs | 31. | Titulus. |
| Lingua | 73. | Ligna |
| Cum | 157. | Eum |
| Dedicata | 159. | Dedicatæ. |
| Ghron. | 190. | Chron. |
| Imitaretur | 189. | Imitetur |
| Numurus | 193. | Numerus |
| Duxi | 193. | Duxit |
| Et refellẽdas | 203. | Refellendas |
| Homuſiou | 206. | Homuſion |
| Proflrgant | 209. | Profligant |
| Lanſpergijs | 214. | Lanſpergij |
| Locum | 222. | Locus |
| Amborſ. | 224. | Ambroſ. |

Si quæ forte præter hæc incurrãt, amicus lector excuſet, & reſtituat.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005660335

Digitized by Google